



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

Philos.

**2649**

Stadt. Bibliothek  
Regensburg

Philos. 2649





Philos 2649

DISQUISITIO  
ASTRONOMICA  
DE  
CORRECTIONE  
CALENDARI

Quam  
SUB SERENISSIMIS AUSPICIIS

MAXIMILIANI  
EMMANUELIS

Utriusq; Bavariæ, & Superioris Palatinat.

DUCIS,

Comitis Palatini Rheni, S. R. I. Archidapiferi  
Conuentus ELECTORIS Carmelit.  
Ratisbon. Landgravij in Leuchtenberg, &c. &c.  
Fiscalient.

CONCERTATIONI ACADEMICA

*Proposuit*

MAXIMILIANUS FRANCISCUS  
MARIA PAULUS MARQUARDUS

PHILIPPUS L. B. de Seinsheim.

Ex Institutionibus Mathematicis

P. FRANCISCI SCHUCH, S.J. S. Linguæ & Math.

Professoris Ordin. & nunc Decani.

In Electorali Universitate Ingolstadiensi.

*Mense Augusto Anno M. DC. XCIX.*

INGOLSTADII, Typis Thome Cratii Typogr. Academicis.

Philof. 2649

SERENISSIMO  
ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI  
AC DOMINO DOMINO  
MAXIMILIANO  
EMMANVELI  
Utriusq; Bavariæ nec non

Superioris Palatinatus  
DUCI,  
COMITI PALATINO RHENI, S.R.I. AR-  
CHIDAPIFERO

ELECTORI,

Landgravio in Leuchtenberg, &c. &c.

Principi ac Domino suo Clementissimo.

 I bellum pedibus tuis advo-  
latus offero, in quo quidem  
nihil magnum præter Te,  
)( 2 PRIN-

**PRINCEPS MAXIME**, illustre  
nihil, præter umbram seu imaginem  
**Tuam, ELECTOR SERENIS-**  
**SIME.** Neque tamen idcirco vel  
temeritatis, vel ignoratæ Tuæ Ma-  
gnitudinis crimen vereor. Scivi il-  
lam, quam nemo ignorare potest,  
quam duo nobilissimi Europæ flu-  
vij Danubius ac Rhenus, quam latè  
possunt, ille orienti, occidenti alter  
annuntiant, atque tot linguis depræ-  
dicant, quot mari guttas infundunt  
in laudes tuas vera eloquentia flu-  
mina. Scivi utique, qualis, quan-  
tusque toto orbe celebraretur **MA-**  
**XIMILIANUS EMMANUEL,**

&

& ut , quod res est , ingenuè fatear ,  
hæc ipsa Tui Nominis fama , quæ  
fortè alios à proposito deterruisset ;  
mihi animos addidit , ut auderem  
pauca hæc folia in illas manus vene-  
rabundus deponere , quæ gladium  
Scanderbegiano simillimum ad Im-  
perij , Germaniæ , ac Europæ univer-  
sæ pacem ac salutem tot annos in-  
credibili fortitudine , atque felicita-  
te vibrârunt . Nimirum etiam illud  
non ignorabam , quòd , uti maximo-  
rum Principum ac belli Ducum he-  
roica facinora vel adæquâsti , vel su-  
perâsti , ita eorundem quoque virtu-  
tes ac décora complectaris , ex qui-

) ( 3                      bus

bus non postremum est, si Plutarcho  
credimus, *Accipere parva, & vilia non  
aspernari.* Sine igitur, PRINCEPS  
**MAXIME**, ut dum alij victrices  
lauros, & opima cæforum hostium  
spolia pedibus tuis advoluunt, ego  
viles has pagellas adsternam, non in  
munus, sed in debitum Serenitati  
Tuæ tributum. Sæculum propè in-  
tegrum fluxit, ex quo Seinsheimia-  
na nostra familia è Franconico in Ba-  
varicum translata est solum, in quo  
tum copiosissimis Serenissimorum  
Principum favoribus irrigata, tum  
diffusis gratiarum radijs recreata, hu-  
cusque adolescit & viret, omnémq;  
qua-

quem habet vigorem , & florem, ac  
cunctos , quos interea collegit , tu-  
lítque fructus Serenissimis Bavariæ  
sideribus , hoc est, Tibi ac Progeni-  
toribus Tuis, grato æternùm animo  
adscribit. In maximæ igitur ac de-  
votissimæ hujus servitutis & gratitu-  
dinis argumentum, vestigal hoc mi-  
nimum accipe , futurum tantisper  
fymbolum, donec , quod opto, vi-  
res, ac vitam omnem obsequijs Tuis  
insumere liceat. Patere , ut sub  
Tuis auspicijs libellus iste in lucem  
prodeat , ego in arenam, ita ille mu-  
tuatâ à Te luce nativis evolvetur te-  
nebris, & ego Tuo Patrocinio tutus  
palæ-

palæstram subire non formidabo.  
Et verò ut annuas, Tuâ refert,  
**PRINCEPS SERENISSIME.**  
Ne longior sim, id paucis aperiam.  
De ea, quam duplex Calendarium  
invexit, discordia disceptamus, quæ  
hucusque sacra simul ac profana, res-  
atque commercia publica, Histo-  
riam & fastos non parùm turbavit, &  
afflixit, ut illâ sublatâ, una & com-  
munis designandi temporis ratio ha-  
beatur, annalibus & Chronologiæ  
pristina lux, & Reipublicæ quies ac  
concordia restituatur. Conatus  
hos nostros promovere, virésque suf-  
ficere Tuum est. Ita enim hucusq;  
agere

agere consueisti, ut publicum bonū  
Tuum esse putares, idque Tibi præci-  
puè curandum existimares. Ideo in  
Austriam, in Hungariam, in Italiā,  
in inferiorem Germaniam ac Belgium  
toties cum exercitu movisti impensis  
infinitis, labore ac periculo summo,  
maximo semper alieno bono, exiguo  
Tuo, nisi publicum Tuum esset com-  
modum. Adhæc tot tantāq; in istis ex-  
peditionibus paucos intra annos ege-  
sti, quanta ab alio præter Te, intra sæcu-  
lum perfici ægrè potuissent. Immortali  
memoria dignissimis *Factis replevisti fastos*:  
nunc Belgradum occupatum, nunc  
Strigonium subactum, jam Mo-  
)( )( gun-

guntia recepta , jam Namurcum ex-  
pugnatum , modò hostes profligati ,  
servati populi. *Sic tempora signas*: atque an-  
nos ac menses prælijs , & victorijs distin-  
guere doces. Quin imò novæ Epo-  
chæ aut Æræ auctores. Recensebunt  
subinde posteri annos à Vienna , quam  
liberâsti , à Buda , quam debellâsti. Alia  
non memoro , quia jam in compitis  
decantantur & tabernis. Jam ex his vi-  
dere potes , PRINCEPS GLO-  
RIOSISSIME , quantùm Tuâ refe-  
rat , componendæ , quam agitamus , de  
Calendario corrigendo controversiæ  
favere , ut qui tantopere & bonum  
publicum amas , & tam copiosam An-  
nali-

nalibus ac Historiæ suppeditas scri-  
bendi materiam. Ne igitur deditio-  
ne clementissimo obtutu ac patroci-  
nio hasce pauculas pagellas , quas Ho-  
nori Tuo & Obsequijs cum vita conse-  
cro , hoc unicè optans , ut SERE-  
NITAS TUA ad patriæ actotius Rei-  
publicæ Christianæ emolumentum ,  
ad SERENISSIMÆ DOMUS  
TUÆ gloriam, quàm diutissimè vivat,  
& perennet in posteris, hominum me-  
moriâ , & fastis immortalis.

Ita vovet

Serenitatis Tuæ

*Devotissimus*

MAXIMILIANUS FRANCISCIUS MARIA PAULUS  
MARQUARDUS PHILIPPUS L. B. de Seinsheim.

## APPROBATIO THEOLOGICA.

**G**ravissimam plus quam unius saeculi, & nunc in Romano praesertim Imperio ardentibus partium studiis agitatam de Calendarij reformatione Controversiam Theses istae tam clara & solida veræ doctrinæ luce sine pungentibus radiis complanant, ut etiam mediocriter doctis, modo velint, veritatem demonstrent. Proinde dignissimas ju dico, quæ sub hoc Natalium, Virtutis & Doctrinæ splendore verè Illustri Domino Defendente, cujus Maiores per plura saecula Illustribus factis fastos impleverunt, publicæ lucis & utilitatis fiant.

FRANCISCUS XAVERIUS AMRHYN, S. J.  
SS. Theol. Doctor, ejusdēmque in Moralibus Professor,  
Ordin. & pro tempore Decanus.

---

## APPROBATIO PHILOSOPHICA.

**C**um Disquisitio hæc Astronomica celebrem de Correctione Calendarij Controversiam perquam doctè, clarè, & solidè proponat, & Ecclesiæ principijs pressè insistat, dignissimam censeo, quæ ad litterariae rei, & publicam utilitatem typis vulgetur; praesertim cum eum Propugnatorem sit nacta, qui concrationem non solum præstanti ingenio, ac scientiâ animare, sed & antiquissimi Stemmatis splendore, & excellenti virtute, quibus Universitati summo ornamento præluxie, illustrare posse.

JOANNES MAYER, S. J. Phil. Professor Ordinarius loco Decani.



§. I.

**ARGUMENTUM  
EXPO NITVR.**

**G**eminum Allmanach,  
seu temporis computationem  
in usu esse, novum unum, an-  
tiquum alterum nemo ignorat; loquun-  
tur hoc vulgaria, quæ quotidie manibus  
teruntur Calendaria, & notæ phrases: *sty-  
lo novo*, *stylo veteri*. Ex his posterius  
alio nomine Julianum appellari solet, à  
Julio Cæsare, qui id instauravit, nomen  
A tra-

trahens. Prius Gregorianum audit, quia  
 Gregorii XIII. Pont. Max. jussu & au<sup>t</sup>o-  
 ritate conditum est. Hoc Catholici fe-  
 re omnes, illo plerique, qui se Protestan-  
 tes nominant, utuntur, quinam meliori?  
 Controversia est jam ante centum & plu-  
 res annos acerrime agitari capta, & nec-  
 dum penitus finita. Et quamvis interea  
 pugnantium ardor multum defebuerit,  
 reaccenderet tamen pugnam yelte viden-  
 tur nonnullorum scripta, clauso anno  
 Ratisbonæ denuo recusa & sparsa, ma-  
 xime D. Egidij Strauchi<sup>j</sup> Theologi & Pro-  
 fessoris Wittebergensis Dissertatio de  
 Computo Juliano, & Anonymi cuius-  
 dam Remonstratio fundamentalis erro-  
 rum &c, in quibus Calendarium nostrum  
 de gravissimis criminibus, ideoque è me-  
 dio tollendum, postularur; credo, ne  
 antiquum, quod jam cum hoc sa-  
 culo agonizat, inultum & inglorium mo-  
 riatur,

riatur, sed ejus funeri, alias siccis oculis spectando, ob alterius consortium aliqua saltem lacrymula affundatur. Verum quia haec folia vel nihil admodum dignum, praeter impertinentes crises continent, vel solummodo antiquam cramberi recognunt, dum argumenta jami pridem a Mæstino, Scaligero, Origano, Calvisio aliisque objecta, & a Clavio, Guldino, & Petavio justis voluminibus solidè confutata iterum nobis obtrudunt, ideo neque necessarium, neque operæ pretium est ad ea articulatim respondere, & rursus ex instituto refellere.

Sunt tamen alii, qui uti doctius, ita & modestius sua sensa proposuerunt. Hi quidem in diversas abeunt vias & sententias, ut fieri amat, quando libera datur excogitandi licentia, & ingenia æmulatione aut spe gloriae incitantur. In hoc nihilominus omnes consentiunt, quod

Juliano Calendario tandem aliud substituendum esse fateantur, à Gregoriano tam  
men vel ex parte, vel ex toto penitus abhorreant. Istorum consilia, & excogitatae  
constituendi Calendarii ideæ, quæ  
niam rem magni momenti & publicam  
concernunt, visæ sunt dignissimæ, quæ  
in argumēatum Academicæ exercitatio-  
nis feligerentur, & nonnihil diligentius  
discuterentur. Disquiram igitur præ-  
cipua, & quæ sit de iis mea mens, edi-  
cam, non ut judex ( tantum enim mihi  
non arrogo ) sed more æqui causidici, qui  
causæ momenta sincerè ponderat, neque  
ultra meritum extollit, quæ favent, acc  
infra deprimit, quæ adversantur, qui  
quid æquitas postulet, insinuat, cætera  
judici relinquens. Talem, inquam, imi-  
taturus quid pçpensis rationibus mihi  
videatur, aperiam, dæcerioriam senten-  
tiawultrœ altiori cedo Tribunali, cui hoc  
meum

meum iudicium cā, qua par est, reverentia libens volénsque subiicio. Quia vero ampliorem campum tam Illustris Domini Defendantis scientia, quām exercitationis Academicæ Palæstra exigunt, Quæstiunculas Exotericas, non tamen à proposito arguento prorsus alienas, pro parergis adjungam.

## §. II.

### *De conciliandis invicem Calendarijs Gregoriano & Juliano, Consilium Domini Weigelij.*

**A**D hunc finem D. Weigelius Universitatis Jenensis Professor, & decus Calendarii veteris aseclis suadet, ut in isto fluente anno decem dierum numerum eximant, & ex. gr. à decimo

A 3

quin-

I

quinto Novembris ( qui Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI natalis est auspicatissimus ) diem proximum statim vigesimum sextum nominent , non decimum sextum , sequentem vero annum millesimum septingentesimum , uti & octingentesimum , ac nongentesimum , non bissextos , sed communes habeant , et si iuxta fundamenta Julianæ uno die auctiores esse , & trecentos sexaginta sex dies numerare deberent . Ita laudatus auctor ad reconcilianda Calendaria , qui postea alia quædam addit ad maiorem Calendarii perfectionem , ut putat , vel utilia vel necessaria , quæ nos alii paragrapho reservamus .

**II** Hic de memorato consilio affirmo saluberrimum id esse , & expeditissimum remedium , quo ingens illa confusio , & decem dierum discordia , quam hucusque duplicitis Calendarii usus in humanum com-

commercium invexit , tollatur. Neque dubito, quin idem sit futurum iudicium aliorum, si modò naturam, & errorem Calendarii Juliani vel aliunde iam sciant, vel ex subiungendis intelligent.

Circumscriperant olim Persæ pariter ac Romani annum solis in Zodiaco motum trecentorum sexaginta quinque dicrum spatio, sed perperam utrique, decepti forsitan ab antiquis Ægyptiis, quibus tot dies annum continere male persuasum erat , quot Enoch annos numerasset, dum à Deo terris creptus fuit: *& facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni Gen. 5.* Hunc igitur errorem emendaturus Caius Julius Cæsar ex consilio Sosigenis ex tempestate celebris Mathematici statuit, annum solarum astronomicum ultra trecentos sexaginta quinque dies adhuc complecti horas integras sex, Præterea ut anni cœviles

viles, in quibus tantum dierum solidorum habetur ratio, melius cum annis cælestibus convenienter, jussit, quarto quovis anno intercalari seu inferi unum diem ex dictis sex horis confectum. Unde quartus quivis annus civilis numeravit dies sexaginta sex supra trecenos, dictusque est annus intercalaris aut bissextus.

**IV** Verum cum sol ad suum circulum percurrentum non requirat ultra trecenos sexaginta quinque dies sex integras horas, ut sibi imaginabatur Sofigenes, sed tantum horas quinque, minuta prima quadraginta novem, secunda duodecim, vel, ut alii volunt, minuta secunda sedecim, adeoque annus solaris Julianus iusto longior esset ferè undecim minutis primis: factum est, ut sensim æquinoctium versus anni initium progressum sit, errore tam palpabili, ut duntaxat item-

tempore Nicæni Concilii usque ad hæc tempora saltem dies decem horas quinque citius accidat, nempe circa decimum Martii, cùm tamen S. Concilii tempore, quod circa annum Christi trecentesimum vigesimum quintum celebratum est, in vigesimum primum inciderit. Quare tám manifesto Calendarii Juliani errori, ulterius pedetentim grassaturo, & utique ad proximum sæculum, minime continuando ut opportunè medeantur, imprimis dies decem omittere, non solùm utile fore, consultò judicavit Dominus Weigelius, sed & necessarium.

Porro annos millesimum septingentesimum, millesimum octingentesimum, ac millesimum nongentesimum, ceu communes, non ut bissexiles habendos esse rectè monet, ne videlicet annus politicus à solari tam facile deinceps difficiat, quod alias fieret, quia per integrum

V

B diem

diem quarto anno cuiilibet intercalari  
solitum, plus, quam par est, additur.  
Nam si annum politicum solaris secun-  
dum Lilium & Clavium excedat quin-  
que horis, minutis primis quadraginta  
novem, secundis duodecim, quatuor an-  
ni solares, quatuor politicos communes  
excedent viginti tribus horis, minutis se-  
decim primis, quadraginta octo secun-  
dis, adeoque dum integer dies seu vigin-  
ti quatuor horæ quarto anno inseruntur,  
quadraginta tria minuta prima, & duo-  
decim secunda supra quam requiratur,  
anno civili adiiciuntur, & (quod ex re-  
gula proportionis consequitur) intra  
quadringentos annos integri tres dies,  
qui proinde optimè compensantur, si ex  
quatuor annis centenariis omissa inter-  
calatione, tres communes agantur. Quod  
si vero cum Tabulis Prutenicis, dicatur  
annus solaris civilem superare quinque  
horis,

horis ; quadraginta novem minutis pri-  
mis , sedecim secundis , tunc quidem hac  
ratione intra quatuor sæcula anni poli-  
tici cum totidem cælestibus non peni-  
tus coæquantur , differentia tamen tam  
exigua est , ut non nisi post nongentos an-  
nos unam horam , & post annos vigesies  
semel mille , sexcentos primum unum  
diem conficiat . Quapropter cum utrum-  
que membris , hoc est , tam quoad  
numerum decem dierum ademptio ,  
quam memorata in annis centenarijs in-  
tercalationis omissio prudenter suadea-  
tur , atque ob dictas rationes nos in Ca-  
lendario Gregoriano primum jam anno  
octuagesimo secundo præteriti sæculi in  
Octobri præstiterimus , & alterum juxta  
proprios ejus canones sequenti anno mil-  
lesimo septingentesimo studiosè simus  
observaturi , palam est , eam , quæ hucus-

B 2 que

que intercessit , Calendariorum & die-  
rum discordiam cessaturam.

Sed est , quod huic consilio Weige-  
liano opponitur , idque , quia non tam  
istud , quām correctionem nostri Calen-  
darij petit , pragrapho sequenti exami-  
nandum erit.

## QUÆSTIONES EXOTERICÆ.

### I.

#### Unde Zodiaci Signa , & Cha- racteres ?

**E**T si nūc melius solis per Zodiacum  
motus , quām olim Julij Caesaris at-a-  
te perspectus sit , adhuc tamen etiam  
inter doctos dubitatur , unde hac Signo-  
rum divisio ac institutio nata sit ? Mul-  
tis hujus rei auctores videntur fuisse im-  
pietas , & Poëtarum somnia , quibus pla-  
cuit

cuit, tum homines, tum res alias in gran-  
tiam suorum numinum, celo inserere, &  
certis astris eorum nomina imponere. Ita  
inter sidera relatim Arietem, Taurum,  
Aquarium &c. Poëta, & Calum Poëticum  
P. Viti Scheffer memorant.

Aliam nobiliorem originem refert Kir-  
cherus Tom. 2. Oedipi Ægypt. classe 1. c. 3.  
ex antiquissimis Hebraorum codicibus, in  
quibus traditur, singulas tribus Hebrai po-  
puli ex Ægypto discedentis ad distinguen-  
da castra, habuisse sua vexilla, & in ijs  
ipsissimas Zodiaci figuræ, & prout nunc  
in globis celestibus depingi solent, expre-  
sas fuisse, ex. gr. tribum Iuda Leonem,  
Ruben virum aquam effundentem prese-  
tulisse, quia iste à benedicente ante mor-  
tem patre Jacobo audiit: Ruben effusus es  
sicut aqua: & ille: Catulus Leonis Iuda.  
Gen. 49. & ita de ceteris.

Nobis neutra ex his origo Zodiaci pro-

B 3 batur

batur. Non prima, quia Zodiaci divisio,  
 & signorum appellatio Poëtarum fictionibus antiquior est. Non secunda, quia non omnes Patriarcha benedictiones ejusmodi signis commode applicari possunt. Probabilius esse censemus, Mercurium Trismegistum (qui Abrahamo coeivus, & alias ab Ägyptijs Hermes & Idris secundus dicitur) Zodiacum, & signa instituisse, consideratis effectibus, qui in terra sunt sole certas cali partes percurrente. Et hanc institutionem ab Ägyptijs ad Gracos, ab his ad Romanos, & inde ad nos transisse admodum credibile est, nimirum, quia modo agriculturam exerceri, modo solem augere & quasi geminare calorem, nunc retrogredi, disemque minuere, mox intensissimo astu, ceu Leonina ferocia, terram impetere experientia docuit, hinc Tauri, Geminorum, Cancri, Leonis &c. signa & nomina qua Ägyptij Apis, Helioto-

litomenon & Horum, Hermanubem ac  
Momphta vocarant. Argumento sunt  
charakteres, qui rerum ipsarum pictura  
substituti sunt, ut meliori laboris ac tem-  
poris compendio singula signa indicari  
possent, quales sunt nota ac Charakteres  
Arietis, Tauri &c. quos hodie usurpamus,  
& Calendaria passim exhibent Ægyptian-  
cis non multum dissimiles, ut videre est  
in cit. crudissimo Kircheri opere classe 7.  
cap. 3. Intra duodenarium verò numerum  
divisionem stare voluit auctor, quia de-  
prehendit, solem singulis mensibus duode-  
cimam totius circuli portionem, sive tri-  
ginta graduum spatium percurrere.

## I I.

**N**um Signa Zodiaci virtutem  
influendi habeant, & quid Aquarius  
in Ingolstadium possit?

**Z**odiaco, qui ab Astronomis visibi-  
lis vocatur, & ex certarum stella-  
rum

rum combinazione constat, virtutem in  
 sublunaria influendi libenter concedo, ne-  
 quae enim arbitror, Sapientissimum re-  
 rum conditorem Deum tot stellas solum-  
 modo ad pascendos noctu oculos absque  
 alia utilitate ac fine procreasse. Addo  
 etiamen, unius & ejusdem signi astra ina-  
 quali & diversa virtute pollere, quod ex  
 diversitate luminis & colorum &c. col-  
 ligimus. At Astrologi communiter alia  
 ignea seu calida & sicca, alia terrea, siue  
 frigida & sicca, nonnulla aerea, hoc est  
 calida & humida, & quedam aqua seu  
 frigida & humida esse docent, & in sub-  
 jectas sibi regiones ac urbes plurimum va-  
 lere. Cum igitur Ingolstadium, ut Ar-  
 golus in Pandosio Sphar. cap. 74. refert,  
 Aquario subdit, & hoc signum aereum di-  
 catur, videtur non immerito dubitari pos-  
 se, an non ab hujus sideris influxu prove-  
 niat, quod, ut aiunt, hic loci phthisis  
 me-

mederi oppido difficile sit? Non abnuet; credo, Cardanus, apud quem Aquarius hoc habet encomium, quod post Scorpium nullum signum illo sit magis lethiferum: Maximèque occidunt, inquit, præcipue Scorpius dein Aquarius. Aphor. 49.

Verùm nos negamus, cùm nequeat dari ratio, cur Ingolstadium huic potius, quàm alijs signo subjaceat? An forsan ideo, quia ejus vertici propius hoc signum imminet? At Australe est, & longius inde abest, quàm omnia signa Borealia. Num quia linea recta hinc à nobis ad calum ducta ad Aquarium pertinget? Verùm etiam ad alia signa hinc linea recta duci potest, & ex alijs quoque urbibus ac provincijs ad Aquarium. An, quia Aquarius in ejus horoscopo ascendit? Sed quando? An tunc, quando primò in vilam excrescere cepii? An dum anno 1312. à Ludovico Bavarо Imperatore civitatis

juribus donatum est , vel ubi à Ludovico  
Divite anno 1472. Academiâ decora-  
sum , vel quando 1537. vallis ac propug-  
naculis munitum fuit ? Quis diem , ho-  
ram & minuta annosavit ? Quibus sa-  
men ignoratis , si unquam aliquis , tunc  
certè nullus est horoscopi usus . Obscro ,  
cur civitates tam vicina Monachium  
Scorpio , Ratisbona Piscibus , Augusta Vin-  
delicorum Capricorno , diversis signis sub-  
jacent ? Et quomodo Salisburgum , Tridentū ,  
Brema , Hamburgum , aliaque longe ab in-  
vicem distantes urbes eidem nobiscum A-  
quarij signo subditae esse possunt ? Alio igi-  
tur hujus effectus assignanda causa est ,  
ferè sicut apud Leodienses & Londinen-  
ses , quos fama est , phthisi obnoxios esse ,  
nempe quia aërem trahunt à carbonibus  
fossilibus visiatum .

Neque obstat dictis Cardani autoris-  
tas , constat enim cum Astrologia nimisum .

ad-

addictum plura, quam probari, vel probari possint, effutijisse. Divisio etiam illa in signa ignea, aërea &c. adeò firmum fundamentum non habet, quia P. Alphonsus Duallus, restatus est in patria sua (Provincia Chile est in America Meridionali) illud signum, quod nobis astum adducit, ibi exoticī frigoris causam esse.

### §. III.

*Quadam proposito Domini Weigelij Consilio ab alijs objecta dissolvuntur.*

**N**onnemo, qui sub nomine Mathematicarum scientiarum cultoris latere voluit, in Annotationibus de Calendariorum conciliatione, Curiae in Voigtlandia idiomate germanico vulgatis memorat, propositum quidem D. Weigelij consilium utile fore ad Calendariorum concordiam, non item ad eorundem correctionem obtinendam, cum

adhuc duo gravissimi errores in utroque  
maneant inemendati. Primus illi est,  
quod Calendarium ad Concilii tantum  
Nicæni tempora, non usque ad annum,  
quo à Julio Cælare conditum est, à Gre-  
gorianis reductum sit. Ex quo contem-  
dit, nobis adhuc tres dies, ultra decem  
jam abjectos, omittendos esse, ipsis vero  
tredecim, nam, quemadmodum anni  
mille ducenti quinquaginta septem (quot  
à Concilio usque ad correctionem fluxere)  
decem dies eximi postulant, ita pari-  
ter anni trecenti sexaginta novem (quot  
videlicet ab exordio Juliani Calendarii ad  
Concilii tempus elapsi sunt) proxime  
tres dies omittendos exhibent. Alter  
error cyclum, & festorum mobilium or-  
dinem concernit. Ceterum cum, quem  
supra descripsimus intercalandi modum  
tam in annis centenariis, quam reliquis  
expansis, seu non centenariis probat, il-  
lud

lud tamen urget, non istos annos millesimum septingentesimum. millesimum octingentesimum. millesimum nongentesimum sed millesimum septingentesimum quinquagesimum sextum. millesimum octingentesimum quinquagesimum sextum. millesimum nongentesimum quinquagesimum sextum &c. pro centesimis habendos esse, & in his intercalationem omitti oportere, ed quod isti à Juliani Calendarii initio numerantibus centesimi, sint, & novum sæculum aperiant.

In his potissimum consistit secundum VII consilium, ut Auctor putat, priore melius, quia Calendaria & corrigit simus, & unit. Sed fallitur, & ne forte alij quoque ejus errore decipientur, ostendum est, sapientissime à Juliani Calendarij instauratoribus decem tantum dies omissos esse, nec plures omitti oportere. Age enim, si tredecim dies,

C 3 ut

ut tu vis , tunc exempti fuissent , quid  
inde lucri ? sic , dices , omnes & singuli ,  
quamdiu durârunt , Juliani anni ad no-  
stros reducti , & conversi fuissent . Exi-  
guus planè fructus ! quo etiam nunc  
quasi sponte nascente non destituimur ,  
nôrunt quippe Chronologi & Astrono-  
mi non solum Julianâ tempora , sed &  
alia longè remotiora reducere , cum no-  
stris annis comparare , æquare , & con-  
venientem solis locum ac motum repe-  
xire . At contrà quid exinde mali ori-  
turum fuisset ? Plurimum profectò . Pri-  
mò Termini Paschales à Concilio con-  
stituti immutandi fuissent , leges aliae de  
Paschate fanciendæ , ritus , Breviaria , ut  
vocamus , & Missalia innovanda omnia .  
Nam si Instauratores Calendarii plures ,  
quam decem dies exemissaent , æquino-  
ctium ad vigesimum primum Martij præ-  
cisè revocatum non fuisset , quem tamen  
diem

diem S. Concilium Nicænum æquinoctio-  
verno tribuit, & cui terminos Pascha-  
les, & canones de Paschate celebrando  
alligavit, ita, ut Lunam XIV. ad Pascha  
celebrandum aptam judicârit illam tan-  
tum, quæ in diem æquinoctij, hoc est,  
in vigesimum primum Martij incidit,  
vel proximè sequitur, uti Vener. Beda  
libr. de temp. ratione cap. 43. 49. & plu-  
ribus locis docet, & nos infra §. 5. iterum  
dicemus. Mutari igitur termini Pascha-  
les, & Canones debuissent, & cum his  
codices ritus Ecclesiasticos continentess,  
secundum illos digesti & ordinati. In-  
super Sanctorum, quorum magna pars  
paulò ante, & non longè post Conci-  
lium vixit, gesta, mortis & martyriorum  
tempora confusa fuissent, quia eorum sa-  
cros dics, & gestorum memoriam lon-  
gius, quam necessitas postularet, ab iis  
diebus remoti fuissent, quos vel pretiosa  
mor-

morte, vel sanctissimis virtutum exemplis, ac glorio sis factis nobilitarunt. Jam autem ob haec omnia quanta perturbatio! quid dixissent Græci, apud quos summa est dicti Concilij auctoritas, quid alij Ecclesiæ, vel Pontificum Romanorum osores? quid fideles ipsi, si vidissent, nunc aliis temporibus Pascha, & reliqua festa mobilia celebrari, quam tam sanctum, & celebre Occumenicum Concilium decrevisset, ejusque statuta ipso Pontifice Auctore violari, & tolli? Juliani Calendarii defensores hucusque illud maxime nobis objecerunt, quod Sacri Concilii placita minus religiose observaremus, pro! quam altum tunc clamaturi essent, si canones ipsos abolevissimus? Quanta damna Ecclesiis, Monasteriis, & personis Ecclesiasticis illata fuissent, ob prope innumeratos, & saepè pretiosos libros, preces & officia divina complectentes, jam inutiles

tiles redditos, quanti sumptus iisdem faciendi ad novos cōmendos ? Hæc aliāque similia moverunt Calendarii Reformatores, ut plerique illorum (jam enim tunc hac de re providi deliberabant) censuerint, omissis tantummodo decem diebus æquinoctium ad vigesimum primum Martii diem, ubi ferè Patres Concilii esse deprehenderant reducendum, rati, satis esse, regulas pro futuris, quām pro præteritis & irrevocabilibus sæculis utiles præscribere, & tamen simul viam monstrare, quā etiam elapsa tempora quisque ad suos fines cum ista usitati anni magnitudine commutare & convertere posset.

Judicent jam æqui rerum æstimatores, VIII  
 quibus aliqua rituum ac rerum Ecclesiasticarum cura ac notitia est, num præstet decem vel tredecim dies eximere ? Mea opinione ratio pro ulteriori reductione usque ad Juliani Calendarii exortum

D

dium

dium tam potens non est , ut auditis  
 prævaleat , & alijs anni centesimi , quām  
 à Christiana æra desumpti , & hucūsque  
 usitati statuantur , cùm neglecta ista re-  
 ductio neque Chronologicis , neque A-  
 stronomicis , neque politicis rebus mag-  
 nopere obfit . Atque adeò non est , cur  
 hoc Curiense consilium priori præfera-  
 tur , ac nostrum Calendarium capitalis  
 erroris incusetur , nisi fortè capitale sit ,  
 plus auctoritatem Concilij , quām qualem  
 qualem parùm utilem , & aliàs obtinen-  
 dam priorum temporum cum sole con-  
 venientiam attendisse .

**IX**    Äquè infirma est alterius de Cyclo  
 erroris objectio , ut infra dicetur . In-  
 terea solùm noto , mirum non esse , quod  
 festa sæpe malè acta arbitretur , cùm ca-  
 nonem de his à Concilio editum vel non  
 bene legerit , vel non bene intellexerit ,  
 afferens , Pascha dominicâ post plenili-  
 um

nium celebrari debere, quod falso c-  
ie paragrapho octavo ostendemus.

## QUÆSTIONES EXOTERICÆ.

### III.

Utrum Belgium tot bellis ob-  
noxium sit ob singularem Leonis  
influxum ?

**H**eras multum in illa membra pos-  
se, quorum figuram referunt, Bo-  
tanicorum effatum est; ita aiunt  
Pulmonariam pulmonibus, Dentariam  
dentibus, Anthonae radices cordi &c. plus  
rimum prodeesse, quia harum partium si-  
militudinem vel folijs vel radice exhibe-  
bent. Quid n̄ igitur, inferunt nonnul-  
li, etiam sidereus leo singularem vim &  
virtutem in Belgium exerere queat, &

D 2

ut

uti in alijs remissius, in Belgis fortius  
 spiritus & cor excitet, ac copiosius mag-  
 nanimitatem atque audaciam inspiret? ex  
 quibus fere bella generantur, geruntur &  
 foventur, idque ideo, quia, ut Geographi  
 norunt, Belgium in figura Leoni assimi-  
 latur. Certè ab hoc caelesti signo leones gra-  
 vius affici, & quasi in bella, ac furorem  
 agi traditur. Accedit quòd imagines in  
 lapide, vel alia materia sub certo astrorum  
 sive exsculpta vel fabricata occultam à ca-  
 lis virtutē accipiunt ad memoriam vel in-  
 genium accendunt, aliosque varios effe-  
 ctus producendo, quorum exempla plura  
 recenset Hieron. Vitalis in Lexico Ma-  
 them. pag. 237. inter qua & illud est, quòd  
 imago leonis auro impresa morbos cordia-  
 cos, & scorpij repente venenatum scorpio-  
 nis mortuum sanarit. Neque hanc occul-  
 tam virtutem reprobant Bustamantius a-  
 pud Vecchium in observ. Med. in sacram  
 scrip-

scripturam obseru. 140. ac Cajetanus in  
 z. 2. q. 96. a. 2. quorum prior non dubi-  
 tavit afferere, serpentem aneum à Moyse  
 erectum hac ratione naturali virtute le-  
 thalibus ignitorum serpentium à Neo-  
 windice immisiorum iecibus mederi potu-  
 isse. Quæ omnia confirmat Auctor Cen-  
 tiloquij prop. 9. afferens, terrestres vultus  
 subjectos esse calestibus. Nihilominus  
 banc causam bellicorum in Belgio tumul-  
 sum non agnoscimus, quia eius aptitudo  
 & connexio non bene probatur. Siqui-  
 dem quod Regio hac sub leonis schemate  
 depingatur, solum à quorundam ingenio  
 vel phantasia provenit, & respectu cali  
 prorsus per accidens est, nullamque cum  
 eo connexionem singularem fundat, vel  
 supponit. Aliter fortè circa herbarum  
 virtutem in membra quoad formam simi-  
 lia agentem sentire licet Botanicis, nam  
 quia figuræ & characteres istos natura,

D 3                   qua

qua necessariò operatur, imprimis, inter eos et effectus quadam Analogia naturae dari potest, et causa suspicandi, naturam cum figura etiam alias qualitates ejusmodi herbis indidisse, quales amicae ac convenientes sunt ijs membris, quorum similitudinem herbas vel radices referre voluit, quod in figuris ac notis solummodo ex libera hominum voluntate vel fortuitò, vel artificiose inscribi solitus locum non habet. Et hinc jam colligi potest, quantum roboris exempla ad confirmationem superius adducta habeant, et quid ad illa respondendum sit? Doctrinam Bustamantij et Cajetani malo Theologis dijudicandam relinquere quam pluribus refutare. De Auctore Centiloquij brevi post erit sermo.

**Quando novas vestes induere , ac confidere sit non  
xiūm?**

**P**tolomaeus , vel quisquis est Auctor Centiloquij vetuit novas vestes confidere , ac primò induere Lunā in Leone morante . Et , ut videri potest , rectè id quidem . Nam paulo superiùs memoratus Hieronymus Vitalis testatur , se tali ueste , quam de industria , Luna in Leone existente , confici curāsse , & primò induisset , ultra duos menses uti non potuisse , eāmque pene totam discissam ac combustam à se repartam , perinde ac si inclibano tosta fuisset . Praterea similes leges seu regula dantur & observantur plures

*plures aliae in agricultura, in arte navigatoria utiles, in Medicina etiam necessaria, adeò, ut graves Theologi cum Augustino Ancontinano peccati mortalis damnent Medicum, qui in dandis medicinis nullam regularum Astrologicarum habet rationem.*

*Verùm dico hanc Ptolomaicam regulam non esse veram, eis sine scrupulo, periculo ac damno novas vestes fieri, induique posse, dum Luna Leonem percurrit. Probatio ex communi Philosophorum doctrina desumitur, quā constat, nullum effectum vel eventum causis celestibus tribus debere aut posse, nisi ubi aliqua conexio utrinque datur, qualis hic nobis nulla appareat. Viderit proinde Auctor, quomodo fidem sua experientia faciat, vel explicet. Per assertionem tamen nostram non reūcimus promiscuè omnes Astrologicas regulas ab Agricolis, Nautis ac Medicis*

dicis prudenter observari solitas, quales dantur de sumendis pharmacis, de aëris temperie, & tempestatis ac ventorum mutatione; de cadendis arboribus, ac insitio-nibus plantarum, sed illas tantum, quibus post diligens examen Philosophi nullum fundamentum physicum, & connexionem subesse deprehendunt, uti sunt: dum Luna est in cancro, utile esse studia inchoare, & venari. Cum Principibus non tractanda negotia in coniunctione & opposi-tione Luna & Saturni. Orandum, quan-do caput Draconis in medio cali est con-stitutum &c. quis has ineptias non ri-deat, & simul non doleat, viros ceteros quin Sapientissimos illis capi?

## §. IV.

Pars altera consilij Weigeliani expo-nitur.

**H**ic scopus est, ad quem D. Weige-lius in secunda sui consilij parte,  
E at-

atque alijs plures collimant, ed nimirum,  
 ut sublato cycli utopte inhabilis & er-  
 ronei usu deinceps ex rigoroso Astrono-  
 miæ calculo, cyclico longè accuratiore,  
 & selectis Astronomorum observationi-  
 bus Calendarium componatur, ita ex-  
 actè æquinoctii & plenilunii paschalis,  
 momenta deprehendi, & ex his certius  
 de tempore celebrandi Pascha statui,  
 ac quot annis diem certò & indubitanter  
 indici posse. Verùm ut credam hoc ita  
 esse, non possum à me impetrare, quin  
 potius sic existimo, ad Pascha secundùm  
**Concilii sanctiones**, & antiquissimum  
 Ecclesiæ morem agendum, Astronomi-  
 cum calculum longè minus aptum esse,  
 quam cyclicum. Hanc enuntiationem  
 non temere, aut falso esse prolatam, di-  
 stinctius evincere conabor per tres af-  
 fertiones in totidem paragraphos distri-  
 buendas.

Nolle

Nolle tamē ea , quæ in hac ma-  
teria à me dicentur , à quoquam ita acci-  
pi , quasi Astronomiam , & Astronomo-  
rum obſervationes parvi facerem . Ab-  
ſit longè hæc à me ſuspicio & crimen !  
Novi nunquam fatis laudatæ ſcientiæ  
præſtantiam & utilitates , quæ ex ejus  
cultura & studio mortalibus profluxe-  
runt . Suspicio ſubtilissimos Astronomo-  
rum labores , & pretiosas vigilias ; in me-  
dium adducenda eo tantum tendunt , ut  
ad præſens Calendarii negotium Astro-  
nomicas ſubtilitates obſeſc potius , quam  
prodeſſe ostendam . Neque per hoc pul-  
cherrimæ ſcientiæ notam inuro : com-  
mune hoc eſt rebus eratis omnibus :  
*Nihil prodeſt , quod non ladere poſſit i-*  
*dem . etiam præſtantissima non omnibus*  
*recte aptantur , aut medentur*  
*morbis.*

# QUÆSTIONES EXOTERICÆ.

v.

## An Vulgares Observationes Astrologo - Georgicæ in novo vel ve- teri Calendario valeant, & quan- tum?

**N**ota sunt observationes, ex quibus certis anni diebus factis Agricola prognosticare solent de tempestate, messe sterili vel facunda. Ita si in festo S. Medardi pluat, humidam auram in quadraginta dies sequentes dirinunt, & timent, & qualem eodie experiuntur aëris temperiem, talem toto messis tempore futuram prasagiunt, uti & de vindemia ex die S. Urbano sacra. Cùm autem, ut supra §. 2. dictum est, ambo Calendaria decem diebus inter se differant, fieri poterit,

*rit, ut dies, qua in nostro Calendario festum S. Medardi vel S. Urbani celebratur, serena, illa vero, qua secundum Calendarium antiquum agitur, pluviosa sit, ut hoc anno festo D. Urbani accidit. Quare dubitatur, an haec similes observationes vulgares in nostro vel Juliano Calendario valeant, et quid eis tribendum?*

*R<sup>e</sup>. 1. aliquas in neutro valere, sed vanas et ridiculas esse, qualis pro exemplo illa est: Quo proprius festo S. Joannis cuculus cantare incipit, eò viliori pretio frumentum fore illo anno.*

*R<sup>e</sup>. 2. alias quidem aliquali fundamento physico niti, nihilominus valde incertas esse ex multis capitibus, rectius tamen, secundum novum Calendarium applicari et fieri, quia illae antiquae sunt, et nostrum Calendarium melius, quam Julianum*

*cum situ astrorum convenit, qualis priscis  
illis temporibus fuit.*

## VI.

**Quoties in anno Æquinoëtia,  
quando & ubi fiant?**

**H**is questionibus satisfaciunt Astro-nomi, ac dicunt, primò aquinoëtia non fieri bis in anno ubi vis terra-rum, eò quòd in regionibus polo subjectis una tantum sit dies per sex menses, & una nox per reliquos sex anni menses continua. Dein ajunt, in omnibus signis fieri aquinoëtium, cùm habitantes sub Æquatore, sive in sphera recta, toto anno dies noctibus a-quales habeant, caterūm ijs, qui extra Æ-quatorem jacent, & quorum Horizontem Æquator intersecat, bis tantum in anno, in ingressu Solis in Arietem & Libram aquinoëtium fieri. Ita communiter & ve-rè

rè Astronomi ac Cosmographi. Quibus adjungo hanc, ut videri potest, contraria propositionem non minus veram, & dico; in sphera recta, seu quibus Äquator per verticem transit, nunquam esse equinoctium, ac nobis, aliisque, quibus Polus Borealis supra Horizontem elevatur, ante aquinoctium vernum, & post aquinoctium autumnale effici aquinoctium. Rationem hujus paradoxi desumo ex refractionibus, quibus hoc proprium est, ut solem ante ejus ortum supra Horizontem attollant, & post occasum adhuc supra spectandum prebeant. Cum ergò hoc modo sol citius oriatur, & serius occidat, non sit aquinoctium, sed semper dies longior nocte, qua alias in sphera recta continuò sunt invicem aequales. Eadem ferè ratio probat alteram propositionis partem, nimirum, quando sol ab aquinoctio verno non procul adest, verbi gratia uno gradu, tunc

tunc ob refractiones elevatur supra Horizontem ortivum & occiduum per dimidium gradum, ut Tycho testatur, atque adeò tum ortum preveniendo, tum occasum retardando jam tum facit diem horarum duodecim, ut solet alias, dum Arietem intrat. Ex quo facile & illud intelligi potest, quomodo aquinoctium post aquinoctium autunmale nobis contingere queat.

## §. V.

*Assertio prima Calculus Astronomicus  
non est ad mentem Concilij  
Niceni.*

XII **P**rimò sic argumentor. Ex S. Ambrosio epistola 83. ad Episcopos Amiliæ, Beda de Temp. Rat. cap. 42. & de Rat. Computi c. 16. item L. 5. Histor. Eccles. gentis Anglorum c. 22. certum est, Patres inter quos, ut idem D. Am-

Ambrosius testatur, fuere peritissimi calculandi, ad Paschale tempus ordinandum elegisse cyclum, et si probè scirent, nullum cyclum, quisquis demum ille sit, perfectè cum motibus cælestibus convenire posse, tum propter annos bissexatos, tum quia in cyclis dies solidi tantum, in motibus etiam horæ ac minuta computantur. Igitur perspicuum est, mentem Patrum non fuisse, ut Pascha secundum calculum Astronomicum designaretur.

Secundò Primarius S. Nicænæ Synodi XIII canon erat, ut toto orbe diffusi Christiani uno, eodemque die Pascha celebrarent, quo id Sancta Romana Ecclesia perageret, uti docent, præter S. Ambrosium loco supra memorato, epistolæ Concilii ad Alexandrinam, & ipsius Constantini Imperatoris ad omnes Ecclesias datæ, fuitque hic canon etiam in Concilio Are-

latensi I. & Carthaginensi IV. confirmatus. Porro ut constaret, quo die Romana Ecclesia Paschalia festa ageret, & agers deberet, quasdam addiderunt regulas, quarum summa est, ut Pascha agatur Dominicā proximā post Lunam XIV. in æquinoctium vernum incidentem, vel id proximè sequentem &c. Sed cum his, ce stare calculus Astronomicus non vallet. Nam ponamus (quod utique fieri potest) plenilunium accidere nobis Sabbatho v. g. vigesimo sexto Martij hora noctis undecimā. Demus etiam, quod magnis conatibus extorquere laborant Adversarii, in plenilunio Pascha celebrare nefas esse. - Igitur orientalibus populis idem plenilunium accidet die Dominicā ex. gr. Goz in India hora quartā, Meaci in Japonia hora octavā matutinis, quia, dum isti diem Dominicam incipiunt, nos iis in Longitudine Geographica

ea occidentaliores adhuc in Sabbatho hæremus. Romæ ergo, ac in nostris hisce partibus sequenti die Pascha celebrari debebit, Goani verò & Meacenses Christiani ob plenilunium id differre coguntur ad octiduum. En! uno & eodem die sic Pascha non celebratur ubivis terrarum, En! quomodo cum præcipuo Concilii canone pugnet Astronomicus calculus, si ad eum celebrationem Paschatis instituere, vel examinare velimus.

Neque solvitur, aut eluditur argumentum, si dicatur, unum tantum unius loci meridianum eligendum esse, nam plenilunium, quod respectu certi meridiani v. g. nostri, vel Romani accedit die Sabbathi circa meridiem, aliis reipsa contingit Sabbatho circa occasum solis, aliis die Dominica &c. Unde si secundum certum meridianum v. g. nostrum aut Romanum sequenti die omnibus celebran-

dum est Pascha, alij re vera id agent feria secundâ , alij Sabbathô , utriusque extra Dominicam, quod non solum est contra Canonem Concilii , sed etiam contra Apostolicam traditionem, qua Sabbathum, & Pascha in Dominicam ob Resurrectionis Christi mysterium translatum esse constat. Taceo alia non levia incommoda, quæ ex unius meridiani electione sequuntur infra opportuniùs memoranda,

## XV.

Interim hæc tela in nos ipsos retorqueri posse videntur. Nam dœfacto vel ad unum tantum determinatum Meridianum Ecclesia fideles, alligat, vel non ? quidquid dixero, me ipsum impugnavi, & quæ aliis objecta sunt, æquè nos premunt, & etiam nunc vel extra Dominicam , vel non simul Pascha ubivis celebrabitur. Respondeo , Ecclesiam nos non alligare ad certum aliquem meridianum , & quanquam ex hac omnibus concessa

cessa libertate utendi cuivis proprio meridiano , etiam fiat , ut dum nobis Sabbathi dies necdum est finitus , alii jam diem Dominicam agant , nihilominus hoc S. Concilii decretis non adversari , quia singuli agunt Pascha die Dominicā , respectu sui meridiani ac loci , & omnes uno die naturali seu intra viginti quatuor horas , successivē alij citius , alii tardius illud celebrare incipiunt , neque unquam ab una septimana in alteram differunt , quod tamen per astronomicam computationem certo meridiano alligatam fieri vidimus , vi cuius Ecclesia non tam patetur , quam juberet , Pascha extra Dominicam contra decreta Conciliorum , & Apostolicam traditionem agere .

Tertiō Sacra Synodus præfixit certos limites , quos Terminos Paschales dicimus , ut si Luna decima quarta in viginimum primum Martii ( quem æquinoctio  
 F 3 )

Etio tribuebant vel in aliquem sequentium usque ad decimum octavum Aprilis inclusivè incideret , Christianorum Pascha proximâ Dominicâ ageretur , ut videre est apud Vener. Bedam L. de Rat. Temp. cap 43. & 49. & alios plures , qui de hoc argûmento scripsere . At quomodo cum hisce præfixis terminis calculus Astronomicus combinari potest ? Tempus , quod ab una Luna XIV. ad alteram , ab uno Plenilunio ad proximum intercedit , definiérunt Patres viginti novem dierum spatio , ut patet . Verùm tale Astronomicus calculus non prodit , in quo Lunatio una media ultra viginti novem dies horas duodecim & quadraginta quatuor minuta prima exigit , vera autē inæqualis est , subinde pauciores , subinde plures , quam media , complexa horas . Ex quibus iterum efficitur , Patres de rationibus Astronomicis non esse locutos , nec se , aut

aut Calendarium deinceps ad eas alligare  
voluisse. Dicam amplius; si constitutis  
his Terminis Paschalibus per quos dicas  
viginti novem tantum dicati sunt pleni-  
luniis Paschalibus, nempe dies vigesimus  
secundus Martii cum sequentibus usque  
ad decimum nonum Aprilis, Concilium  
Astronomix calculum attendisset, vel  
nos attendere vellimus, quidam anni suo  
Paschate spoliabantur. Exemplum ca-  
pe: Accidat unum plenilunium sex ho-  
ris ante vigesimum secundum Martii,  
proinde alterum saltem sex horis post de-  
cimum nonum Aprilis continget, cō  
quod ab una Lunatione vera ad sequen-  
tem, teste Hevelio Selenographiæ cap. 7.  
fluant minimum dies viginti novem, ho-  
ræ sex, & quadraginta duo minuta pri-  
ma. Viden igitur neque unum, neque  
alterum ex his plenilunium Paschale  
esse, quia neutrum intra præscriptos à  
Con-

Concilio terminos continetur, adeoque  
talem annum sine Paschate monstrosum  
fore, & calculum Astronomicum decre-  
tis ac voluntati Patrum male correspon-  
dere.

## QUÆSTIONES EXOTERICÆ.

### VII.

Utrum novum Calignoni ex-  
perimentum probet, Terram motu  
suo diem & annum metiri, non solem?

**S**i Copernico credimus, terra intra vi-  
ginti quatuor horas circa suum axem  
instar rota ab occasu in ortum gyra-  
tur, & rursus alio motu infra Zodiaci  
planum circa solem in medio, seu centro  
immobiliter consistentem in orbem volvi-  
tur. Illum, quia nobis diem ac noctem fa-  
cit, diurnum vocat, hunc annum appellat,

lat, ubi enim hunc circulum tellus percurrit, annus absolvitur. At hac Copernici opinio jam rejecta est à pluribus, tanquam Philosophia & S. Scriptura minùs conformis. Hic solum inquirere placet, nam motum hunc terra Copernicanum nova illa experientia probet, de qua Petrus Gassendus in epistola ad Gabrielem Naudum meminit, aiens, Calignonum in perpendiculo, seu pondere filo longo suspenso, ac contra aëris agitatem probe minuto deprehendisse, quod cuspis perpendiculi non semper eidem subjecto punto immineret, sed modo in Boream, modo in orientum, nunc ad Austrum, nunc in occasum vergeret & deviatet. Ex quo experientia Gassendus prater alia, qua inde deducit sua sagacitate & ingenio digna, etiam motum terra stabiliri putat. P. Ricciolus quidem cum P. Grimaldo talem perpendiculi motum experti non sunt, si tam  
 G men

men veram esse experientiam ultrò demus, motus iste perpendiculari aliter per rarefactionem explicari posse videtur. Pro declarazione occurrit alia experientia nota, & haud dubiè à pluribus oculis usurpara, qua talis est. Si bacillus aliquantum longus ac latus in equilibrio suspenderatur, dein cera (quam vulgo hispanicam nominamus, & ad obsignandas literas adhibemus) per attritionem ad vestes calfacta admoveatur, illico bacillus ceram, quocunque movebis, veluti lingula magnetica magnetem sequetur. Et ratio hujus motus non videtur esse alia, quam quod in poris cera latens aer primò per attritionem cum ipsis poris dilaretur, dein vero paulatim iterum frigescat, & contrahatur, quemadmodum in thermoscopijs fieri solet communibus. Ex qua aeris contractione fit, ut vicinus aer una cum bacillo contrahatur, & motum cera sequi cogatur.

## EXC( SI )

gatur. Nam non multum dissimili modo de motu perpendiculi Calignonij differi posse existimo, nimirum terram à sole illuminatam, perque ejus calorem ac radios nunc ab ortu, nunc à meridie incidentes rarefieri, ex se quasi dilatare, iterumque cum sole recedente, ex auctu remittente ad angustiorem priorem locum se reducere, atque ita fieri, ut non semper idem terra punctum perpendiculo subjaceat, absque motu Copernicano telluris. Quin imo, nisi quæstio nimium protraheretur, ostendi posset, istam, quam Gassendus describit, perpendiculi variationem ac motum cum motu Copernicano stare non posse.

### VIII.

## An terræ saltem motus Tre- pidationis conveniat?

**G**raves Theologi ex Philosophi  
cum P. Vasquez affirmant ter-  
ram

ram identidem nutare, èò quòd perfectissimè librat a sit in medio mundi, & in ea perpetuò pondus ac centrum gravitatis mutetur, unique parti per nova edificia, per trajectionem navium, effosionem montium, aliarumque rerum gravium motum novum pondus continuò accedat, alteri dematur, ferè sicut in bilance fieri cernimus, ubi ob mutatum pondus alijs quantis per nutant ex librantur brachia. Nec de sunt ex istis Auctòribus, qui argumentorum evidētia permoti concedant, terram ad unius quoque pulicis saltum trepidare & titubare.

At alij non inferioris nominis citati à P. Gaspare Schotto part. 3. Magia Natur. L. I. c. 2. contrarium tuentur, scilicet nos cum illis. Argumentum autem, quo terram contra hunc motum, & nos contra adversarios munimus, cum P. Cabao de Philosophia Magnetica pricipiè à Magnete desumi-

sumimus, cuius virtutem etiam tellurem habere prater alia probant cancelli ferrei, quibus fenestra muniuntur, qui postquam quindecim vel viginti annos erecti steterunt, versorium sive lingulam trahunt, & si librentur, ad polos se vertunt, imo si nonaginta vel centum annorum etatem tulerunt, etiam ramenta ferrea suspenderunt, & virtute cum robustissimis magnetibus certant, Kircher & Cabao testibus, Hac igitur Magnetica virtus, dum ad certas plagas se vertit, à quibus tam facile avelli se non patitur, motui trepidationis cum terra resistit, eumque impedit.

## §. VI.

*Assertio altera. Calculus Astronomicus  
in re Calendarij alia secum incommo-  
da trahit.*

**N**on mea unius hæc opinio est. Idem XVII  
G 3 sen-

sensere jam pridem etiam ipsi nostri  
 adversarii. Loco plurium loquatur Mæ-  
 stlinus. Hic rationem redditurus, cur  
 in suo Calendario de Astronomicis di-  
 sputaret apud Clavium L. i. cap. 7. cit. ita  
 " scribit: Quod si quis miretur, quare de  
 - " his subtilitatibus Astronomicis in an-  
 " ho politico, vel Ecclesiastico dispu-  
 " tem, is noverit, quod ego & mecum  
 " omnes fani ac prudentes Mathematici  
 " ultro confiteamur, has subtilitates  
 " Astronomicas in rei veritate, nihil  
 " conducere ad annum politicum: unde  
 " neminem Politorum & plebejorum  
 " hisce gravandum statuimus. Sicut  
 " nec Julius Cæsar prudentissimus Impe-  
 " rator, in anni restitutione subtiliti-  
 " bus ullis turbas movere voluit. Nec  
 " Patres Concilii Nicæni, qui huic novo  
 " Calendario occasionem subministrant,  
 " quicquam de his subtilitatibus mo-  
 nue-

"nuerunt. Imò nos ipsi novimus, quod  
 "quotiescumque Ecclesia ad hujusmodi  
 "subtilitates delapsa est, quales olim in-  
 "ter Ecclesiam Romanam & Alexandri-  
 "nam de termino Paschatis erant, ante-  
 "quam per Dionysium Abbatem Roma-  
 "num, circa Annū Christi quingen-  
 "tesimum trigesimum secundum cyclus  
 "decennovalis restitueretur, ipsa horri-  
 "bilater cum maxima offensione infir-  
 "morum fuerit perturbata. Contrà au-  
 "tem nemini incognitum est, quod inte-  
 "rim ab anno quingentesimo trigesimo  
 "secundo ad hoc novum Calendarium  
 "usque, propter sublatas has subtilita-  
 "tes, uniformitas, & nunquam satis lau-  
 "data concordia in toto orbe Christiano,  
 "quod ad præsentem Calendarij usum  
 "unā cum Paschatis celebrationē attinet,  
 "fuerit servata &c. Hucusque Mæstlini  
 Adversarij testimonium, nobis fortissi-  
 mum

mum contra Adversarios telum, quia non  
alio affectu, quam veritatis vi ac pondere  
expressum. Idem senserunt Calendatij  
Gregoriani conditores plerique, nam li-  
cet variæ ideæ, ac inter cæteras etiam  
quædam ad motum medium ac verum  
constituendi Calendarij propositæ fu-  
sent, eas tamen tanquam consuetudini  
Ecclesiæ, & Concilij contrarias, multa-  
rūmque dissensionum ac incommodo-  
rum futuros fontes rejecerunt. Quo-  
rum judicium, cum, ut ipse Pontifex in  
Bulla testatur, fuerint Mathematici pe-  
ritissimi ex primariis orbis Christiani na-  
tionibus & regnis selecti, atque per de-  
cennium indefessa industria, & summo  
studio huic negotiò insudarint, meritò  
magni facimus.

**XVIII** Auctoritati etiam ratio suffragatur;  
quid enim præter dissensiones & lites a-  
liud exspectari possit in tanta cum Tabu-  
la-

larum, tum Hypothesium Astronomica-  
rum adhuc dubiarum diversitate, & rei  
difficultate? Quid fiet, si aliqui aliquan-  
tò citius, alii nonnihil serius æquino-  
ctium statuant? nonnulli Lunam decimā  
quartam, vel Plenilunium postponant æ-  
quinoëtio, præponant alii? atque adeò  
illi Pascha in alterum mensē differen-  
dum esse velint, hi renuant? quis judex,  
quis litem dirimet? num inclytum Col-  
legium Mathematicum in Germania &  
Imperio instituendum? At hoc tribunal  
vix agnoscent nationes aliæ. Græci ac  
Romani olim se solos suspiciebant, cæ-  
teros omnes tanquam barbaros aspernati.  
Neque hac ætate ulla est ex Europæis  
gentibus, quæ non sibi adiudicabit au-  
reum excellentiæ pomum, si Paridis po-  
testatem sortita, huius litis arbitra con-  
stitueretur. Quid interim agent remo-  
tiores ab Europa populi, Sivenses, Ame-  
ricani,

ſicani, alii? quomodo uno eodemque die  
omnes Christiani per orbem univerſum  
ſparſi Pascha celebrare poterunt, cūm  
Europæi inter ſe ſint discordes, reliqui  
neſciant, quid ſanior vel potior pars de-  
creyerit? An non jure verendum eſt, ne,  
(ut ſemper fæcunda vitiosæ prolis mater  
eſt discordia & æmulatio) ex uno Calen-  
dario hac ratione plura naſcantur, res ec-  
clieſiaſtas, imo & politicas, non minùs,  
quām antè, graviter afflicturas?

**XIX.** Et eſto; ſint concordes Tabulæ, nec  
diuerſitatem inducant Hypotheſes, cæle-  
ſtium moṭuum, nec instrumenta vel ob-  
ſervationes. Nihilominus ex Meridia-  
norum diſſerentia, & Longitudinis Geo-  
graphicæ incertitudine novarum turba-  
rum ſegmina exſurgent. Ægrè patientur  
quidam, ſibi novam neceſſitatē impo-  
ni, qua Pascha alio, quām Concilia & A-  
poſtoli præcepiffent, die extra Domini-  
cam

eam agere deberent. Alii querentur, se cum aliis Christianis Pascha celebrare non semper posse, vel sibi libertatem adimi, ut, quem fors & situs dedissent, meridiano gaudere non queant, ad alium, incertum quantum distantem, se alligari, sic horas non amplius vulgari & consueto, sed Astronomico more numerari, & numerationem ipsam difficiliorem reddi & dubiam, ex incerta locorum longitudoine.

Hæc disputanti duo opponiunt Adversarii. Primo, inquirent Christianis magna dedecori esse, quod Judæi, Turcae & Ethnici secundum artis regulas tempus & dies sacros inquirant, & statuant, nos vero ista non ad amissim Astronomiæ hodie exultissimæ, sed tantum ad methodum minus accuratam, quam necessitas, non artis præstantia hucusque jure civitatis donarit; acsi vel ita rudes, vel

XX

adēt̄ socordes essemus & abjecti, ut mediocribus contenti perfectiora, vel ignoraremus, vel negliceremus. Respondeo, ab obiiciente nimis pressè sumi artis nomen, quasi continuò omnis artis expers sit, quidquid in eo genere summum non est, nullumque poëma vel eloquentia aliquid artis habere possint, quæ Maronem aut Tullium non assequuntur. Ad perfectionem Astronomicam quidem eyclus non assurgit, aliàs hoc ipso cyclus esse desineret. At non idcirco nihil artis habet. Legatur Explicatio Clavii, & patebit, quod non pinguis Mineræ opus, sed maturus doctæ Palladis partus sit. Præterea nec illi, qui obiiciuntur, tam accuratè secundūm Astronomiam annos suos & festa definiunt, prout Adversarii sibi imaginantur, quod facile esset ostendere, nisi ex Chronologia Riccioli, aliisque Auctoribus luculenter jam

jam constaret. Hoc solum, ut secum perpenderent, vellem, nimisrum; per tota saecula cyclum haud dubie ex gravibus causis Ecclesiam usurpasseret, neque unquam hoc ei exprobratum vel a gentilibus, vel a Judaeis. Cur igitur cæptis insisteret probro sit? Varii populi, Chaldaei, Hebrei, Athenienses, Alexandrini, Romanii, & alii per cyclos, quos Paulus Middleburgensis explicat, Novilunia & Plenilunia investigarunt, cur idem facere Ecclesiæ non liceat? unde haec ferrea necessitas? per quid libertas adempta? qua legge Ecclesia ad Astronomicas regulas tam arcte alligatur? ad quas nec ipsos Judæos, quorum Pascha nostratis figura & umbra fuit, a divino mandato adstrictos esse ex sacris Paginis probatur:

Alterum, quod dictis opponunt, est. **XXI.**  
Non se id agere dicunt, ut in Pleniluniis Paschalibus & æquinoctiis per calculum

Astronomicum inveniendis etiam minuti-  
tarum ratio habeatur, Concilium die-  
rum solidorum duntaxat meminisse, pro-  
inde satis esse, si dies æquinoctii & Pleni-  
lunii attendantur, cæteræ impune negli-  
gi posse. Atque hoc modo omnia quæ  
hucusque à nobis in confrarium allata  
funt, argumenta everti, nullum nisi in  
minutiis dissidium inter Astronomos ti-  
mendum, salvos fore canones, perstitu-  
tos Terminos Paschiales à Patribus præfi-  
xos, uno eodemque tempore Pascha  
ubique terrarum à Christicolis celebra-  
tumiri. Multa hic cumulantur speciosa  
magis, quam solida. Diluamus sin-  
gula.

## XXII

Primo aiunt, nullum nisi in minutis  
timendum esse dissidium inter Astrono-  
mos. Utinam hoc quidem! sed vestigia  
terrent. Tycho Astronomorum Prin-  
ceps anno millesimod quingentesimod oc-  
tua-

tuagesimō sextō æquinoctium verum  
 observavit die decimo Martij horā nonā  
 post meridiem, quod Tabulæ Alphonsi-  
 næ ferè sex horis citius exhibent, Prute-  
 nicæ verò tardiùs prope horis tredecim.  
 Landspergio annō ejusdem s̄eculi nona-  
 gesimō nonō æquinoctium, stylo veteri,  
 fuit die decimo Martij horā decimā ter-  
 tiā, minutō quinquagesimō primō, au-  
 tumnale die duodecimo Septembris horā  
 sextā, minutō tertio. At Maginus ab il-  
 lo in priori horis tredecim, in posteriori  
 ultra diem integrum discrepat. Plures  
 ejusmodi differentiæ notabiles adduci  
 possent, si animus esset, & otium. Qui  
 jam fidejubebit, posthac nihil hujusmo-  
 di fieri posse, aut futurum? Neque, ut  
 quidam putat, Prostaphæresis, seu ele-  
 ctio medii inter extrema dissidentes  
 componet. Negabunt axioma illud: me-  
 dio tutissimus ibis, ubivis locum habere,  
scuti

sicuti negant ipsimet Adversarij dicenti : inter Calendarium Julianum , & novum , quale excogitare laborant , medio , nein-pe Gregoriano standum est : *medio tutissimus ibis.* Et ( ut unum tantum exemplum ex pluribus Amphiboliis & dissidiis orituris insinuem ) quid si Plenilunium Paschale incideret in feriam septimam , ejusque horam vigesimam quartam , quod id referendum erit ? an feriae septimae tribuetur an Dominicæ ? inter quarum confinia ex æquo jacet . An Pascha sequenti die celebrandum , an ad octiduum differendum erit ? Quis hic , & alias medium statuet ? quis omnes ad hoc amplectendum coget ? Demum ut ut etiam medium , vel decisio ab omnibus recipiatur , non impedies tamen , quod minus illi , & isti Pontifices , Imperatores , Reges ac Principes divexent , & subditos turbent , oblatis supplicibus libellis , & in

in lucem editis lucubrationibus, in quibus quisque sua sensa commendabunt, aliorum confutabunt, ferè sicut nunc faciunt Adversarii, dum quæ alii propoununt de compōnendō Calendario, alii carpunt, & quod placet Weiglio, displicet Kirchio, Spleissiis, Reyhero, Tiedio, aliis, ac vicissim, ut tum literæ, tum vulgatæ eorum annotationes, crises, & apologeticæ docent.

Num saltem salvi sunt canonæ, & de- **XXIII**  
creta? minime. Nam in casu §. 5. proposito juxta Adversariorum principia, et si dierum tantum solidorum habeatur ratio, nihilominus orientales ad octiduum suum Pascha differre debent, atque adeò jam præcipuus canon de Paschate unde die ubique celebrando violatur. Rursus si æquinoctium verum nobis accidat die vigesimo Martii in meridie, & Luna decima quarta horâ tertiarâ vespertinâ,

I

tunc

tunc orientalibus quibusdam illud accidet in media nocte , à qua dies & jejunia auspicari solet Ecclesia , itaque iis id fieri initio dici vigesimæ primæ & Luna decima quarta horâ tertiam matutinâ . Jam Luna ista Paschalis erit orientalibus , quia omnes ad hoc requisitas à Concilio conditiones habet . Nobis' verò alia in sequentem mensem exspectanda erit , cùm Pascha non nisi post Lunam decimam quartam in diem vigesimum primum Martii , ( quem æquinoctio attribuerunt Patres ) vel proximè pòst incidentem celebrari possit . Igitur uno mense illi citius , nos seriùs Pascha agemus . Vel si aliam Lunationem nos exspectare nolint , ut Terminos Paschales à Concilio constitutos immutent , necesse est , quia intra vigesimum primum Martii , & decimum octavum Aprilis non amplius continebuntur . Hos ipsos Terminos

minos mutare s<sup>e</sup>pius etiam in aliis casibus oportebit, v. g. quoties dics Dominica proxima Plenilunio post æquinoctium fact<sup>o</sup>, diem vigesimum secundum Martij præcedit. Igitur quamvis ultra dics solidos nihil scrupulosius inquirendum esse afferant, argumenta tamen nostra non evertunt, Decreta S. Synodi non obseruant, atque ita per Calculum Astronomicum Calendarium non emendant, sed potius novos ritus introducunt. Quod si autem illis tanta, quantam præferunt, est reverentia Concilij, ad quid tanti motus? cur identidem calculus Astronomicus rigorosus inclamat, si diem tantum, non horas, ac momenta æquinoctiorum & pleniluniorum nosse cupimus? cur Cyclus Gregorianus reiicitur, qui eadem ad mentem Concilii recte indicat, & fideliter saltem in plurima adhuc secula monstrabit, ut brevi post ostende-

stendemus. Si notā, tritā, ac securā viā  
ad optatum terminum pervenire conce-  
ditur, cur aliam & novam quærat ac ten-  
tet Ecclesia? quæ novitates non necessa-  
rias, sæpius noxias, semper periculosas  
experta, abhorret.

## Q U Ä S T I O N E S EXOTERICÆ.

### I X.

Num sol cum Kepplero cor-  
pus Magneticum dici possit, & sua vir-  
tute omnes reliquos planetas  
moveat?

**D**um paulo antè mentio de Magne-  
te facta est, occurrit Keppleri trium  
Augustissimorum Imperatorū Ma-  
thiae, Rudolphi & Ferdinandi secundi  
Mathematici acutissimi opinio, qui do-  
cet, solem circa proprium suum centrum  
cir-

circumagi, & à se virtutem seu qualitatem Magnetica simillimam quaqua versum diffundere, atque hac, instar lapidis funda circumacti, reliquos planetas cum sole pari vertigine rotare. Sic ait, rectè, rationem reddi, cur planeta à sole remotiores tardius suos circulos absolvant, citius propinquiores, videlicet Saturnus post annos triginta, Jupiter post duodecim, Mars intra viginti trium mensium intervallum &c. quia nimirum fortius trahit Solis virtus, ubi est intensior, quam ubi ob distantiam est remissior. Hac & plura Keplerus in Comentarij Martis, & in Epitome Astronomica L. 4.

At ad assensum nos non pertrahit hoc Astronomico - Magneticum sistema, quia experientijs, qua de Magnete habentur, & ejus proprietatibus non est conforme. Quin & afferimus, Planetas à sole remotiores celerius moveri, quam viciniores.

**C**ur Sol diutiùs moretur in Signis Borealibus, quām in Australibus?  
& cur in æstate minor, in hyeme major appareat?

**C**lavius teste in cap. 3. *Sphæra de Sacro Bosco* sol ab Ariete ad Libram progressus in sumis dies 187. à Libra verò ad Arietem dies tantum 178. Causam hujus aliqui arbitrantur esse motum inaequalem solis, nunc tardiorum, nunc velociorum, sed certior est solis excentricitas, hoc est, quod centrum orbis, in quo sol moveatur, cum centro terra non coincidat. Hinc enim sequitur, quod partes quadam hujus orbis sint terra propinquiores, alia remotiores. Porro cum nunc Apogaeum, sive punctum à terra remotissimum in Cancro sit, et Perigeum seu punctum terra vicinissimum in opposito Signo Capricorni, necesse fariò

sario plus temporis sol insumit procedens ab Ariete per Cancrum ad Libram, quam dum à Libra per Capricornum ad Arietem redit, ibi enim majorem excentrici partem percurrit, hic minorem istis temporibus. Quod autem Cardanus ait, per transitum ipsorum punctorum apogai & perigai ab uno signo in aliud mutari regna, regiones, & Religiones, fundamento caret.

Ex dictis jam patet responsio ad alterum quastionis membrum, cur in aestate sol minor appareat, quam in hyeme, nimirum, quia in hyeme est nobis vicinior, quam in aestate; & universim objecta propinquiora ceteris paribus videntur majora longinquis. At ex his oritur alia quastio.

# Cur

**C**ur in hyeme Sol terræ propinquior minùs calefaciat , quām in æstate remotior ?

**P** Anton. Maria Schyrlens de Rhei-  
ta Capucc. in oculo Elia & Enoch.  
L. 4. c. 2. membr. 3. assignat hanc  
causam. Sol, inquit, in æstate faciem, seu  
partem lucidiorem ac calidiorem terræ ob-  
vertit, in hyeme autem alteram minùs ca-  
lidam. Alij calorem solis in æstate in-  
tendi arbitrantur à canicula, vel cane, ca-  
lidissimo sidere. Unde ad hoc fidus pla-  
candum ejusque astum mitigandum Ro-  
manos olim canem rufum mactasse ex Fe-  
sto narrans. Nos potius hanc damus,  
quòd tempore hyemis radij solares obliquè  
incident, in æstate verò magis  
directè.

§. VII.

## §. VII.

*Assertio tertia. Nulla subest efficax ratio,  
cur Cyclus Epactarum Aureis Numeris in  
nostro Calendario substitutus  
tollatur.*

**A**sensum huius propositioni me impetraturum spero, si patefecero, argumenta, quibus Cyclus noster impugnari solet, vana esse, & invalida. Et quoniam hic ipse cyclus totius controversiae præcipuum caput & causa est, cur Adversarij à recipiendo nostro Calendario absterreantur, atque calculum Astronomicum in cycli locum substitui velint. Ideo pro meliori præsentis litis notitia venia erit aliquam ejus descriptio- nem præmittere.

Jam Olympiade octuagesima sexta, hoc est, annis ante Christum circiter quadringentis triginta duobus Meton Atheniensis cyclum Lunæ decennovendialem

excogitaverat, ratus, Lunæ motum ad solis cursum ita attemperatum esse, ut post evolutum novendecim annorum spatiū Novilunia in eisdem dies & momenta reincidenterent. Et hinc natus est famosus ille Cyclus Aurei Numeri, qui proinde aliud non est, quam revolutio Numeri novendecim annorum, dum ab unitate ad novendecim usque progreditur, & revolutione perfecta redditur ad unitatem. Ex his novendecim numeris cuivis anno suus ordine tribubatur, atque ita artificiose disponi solebant in Calendariis, ut ex iis facile Novilunium cuiuslibet mensis cognosceretur, illo enim die dicebatur Novilunium contingere, cui Aureus Numerus dato anno currens adscriptus erat. Cyclus iste tanto quidem plausu & commendatione exceptus fuit, ut Athenis, aliisque celebrioribus Græciæ urbibus in foro affixus, à Romanis

nis autem AUR EUS appellatus fuerit , si-  
ve ob ejus utilitatem , sive quod , tan-  
quam Cedro , in auro dignum , aureis  
litteris illum scripserint . Fuit etiam ab  
Ecclesia acceptatus , & per multa Iæcula  
usurpatus , eò quod Novilunia , ætas Lu-  
næ , Terminus seu Luna XIV . Paschalis ,  
& ipsum Paschatis tempus per illum sine  
difficultate invenirentur . Verùm cum  
tempore magis exulta & oculatior red-  
dita , Astronomia eum fallere deprehen-  
dit dum melius explorato Lunæ motu  
medio seu æquali reperit , nequaquam post  
novendecim annos solares Julianos Novi-  
lunia ad eosdem dies , & horarum mo-  
menta reverti , sed evoluta illorum anno-  
rum periodo Novilunia Media præire sive  
citius accidere unâ horâ , viginti septem  
minutis , triginta uno secundis , quin-  
quaginta quinque tertiiis , & post annos  
septuaginta sex , horis quinque quinqua-  
ginta

ginta primis , septem secundis , quadra-  
 ginta tertiiis , post annos autem trecentos  
 duodecim cum dimidio , prope integrum  
 die . Fecitque sensim ex crescens hic er-  
 ror , ut Novilunia Aurei Numeri non  
 amplius bene demonstrarent , & à tem-  
 pore Concilii Nicæni duntaxat usque ad  
 annum prioris Sæculi octuagesimum se-  
 cundum , hoc est intra mille ducentos  
 quinquaginta septem annos minimum  
 quatuor diebus citius Luna cum Sole con-  
 jungeretur , quam per Aureos Numeros  
 falso principio nixos significaretur : nimi-  
 rum æqualiter peccatur , sive in tempo-  
 re quis exerret , sive in gnomone , utrobi-  
 que error crescit magis , quod longius  
 protenditur . Quocirea ut huic malo  
 (quod fuit altera corrigendi veteris Ca-  
 lendarii causa ) medicina pararetur , sub-  
 moto Aurei Numeri , & Lunæ decenno-  
 vali cyclo , in Gregoriano substitutæ sunt  
 Epactæ ,

Epactæ , quæ certius initia mensium Lunarium , cæteraque quæsita ostenderent.

Epactæ autem sunt dies , quibus An-nus solaris Lunarem superat , qui excessus est communiter dierum undecim . Nam cum Annus solaris communis politicus numeret dies trecentos sexaginta quinque , Lunaris vero tantum trecentos quin-quaginta quatuor , liquet hunc undecim diebus illo esse breviores . Hi igitur di-es Epactæ seu Adjecti , vel Adiiciendi vo-cantur , quorum numerus non est singu-lis annis idem , quia annus Lunaris non semper cum solari incipit , sed plerum-que citius . Ex. gr: quoniam anno clauso Annus Lunaris , seu Lunatio duodecima & ultima jam fuit finita secundo Decem-bris , ideo Annus Lunaris ante solarem in-cepit , & in anno solari residui viginti no-vem dies anno huic fluenti additi sunt , & propterea in Calendario Ecclesiastico

Divini Officii pro hoc anno Epactarum  
 Numerus est vigesimus nonus. Epactæ in  
 singulos annos prodeunt, si præcedenti  
 Epactæ addantur undecim, ita si ad octo-  
 decim ( qui numerus fuit Epactæ elapsi  
 anni) addo undecim, fient viginti novem,  
 & Epacta hujus. Quod si ex additione  
 proveniat Numerus major trigesimo, abii-  
 ciuntur semper triginta pro nova Lunati-  
 one, habebitque tunc annus Lunatio-  
 nes tredecim, & dicitur Annus Embolis-  
 malis. In anno tamen, in quo Numerus  
 Auteus est novendecim, loco undecimi  
 addi debent duodecim, ut habeatur E-  
 pacta sequentis anni, restituenda videli-  
 et est uni Epactæ unitas, quæ alteri fue-  
 rat ablata. Cæterum tota hæc structura  
 ita disposita est, ut Novilunia Ecclesiasti-  
 ea plerumque posteriora veris sint, aut e-  
 tiam mediis, ut nempe Ecclesia securior  
 sit de transacta Luna XIV. in qua non li-

Cet

cet Pascha cum Judæis celebrare. Circa illum ergo diem, cui adscriptus est in Calendario Numerus Epactæ dato anno currentis, dignoscitur fieri quovis mense Lunæ cum sole Synodus seu conjunctio. Reliqua de artificio Epactarum fusæ explicantur à Clavio, Petavio, & aliis, & quantum ad praxin earumque usum sufficit, initio Breviarii Romani.

Hic modò descriptus Epactarumclus lapis offensionis est, & petra scandali. Hunc inhabilem, erroneum, vitiosum clamitant, ideoque ex Calendariis expungendum. Et quamvis aliqui cumentantum generatim damnent, alii tamen potissimum trium criminum illum reum faciunt. Primo, quod eo duce subinde cum Judæis, secundo cum Quartadecimannis, & tertio in ultimo mense Pascha à nobis agatur. Hac accusatione nulla antiquior simul & recentior est, sed nescio, an ulla

ulla etiam iniquior? Ista vel singula, vel universa criminati sunt primi Calendarij Gregoriani oppugnatores, Mæstlinus, Josephus Scaliger, Germanus &c. quos secuti sunt strenue Calvisius, Joan. Henric. Voigt, alij, & nuperrime initio memorati Aegidius Strauchijs, & Anonymus. Videamus quibus fundamentis hæc accusations innitantur.

## QUESTIONES EXOTERICÆ.

### XII.

**U**nde oriatur diversitas morum, & inclinationum in varijs nationibus?

**N**on minus moribus, quam linguis populos ab invicem differre notius est, quam ut probari debeat, et plures graphicè (an etiam verè? non disputo) depingit Barclaius in Icone animorum; dubium

bium tamen prudens relinquitur, qua hu-  
jus diversitatis causa & origo? An non, si-  
cūt per accessum & recessum solis in Zo-  
diaco juxta Aristotelem fūnt mutationes,  
generationes & corruptiones rerum alia-  
rum, ita etiam inde nascatur diversitas  
morum & inclinationum in varijs natio-  
nibus?

R<sup>e</sup>. affirmativè. Ratio est, quia ex  
bac causa oritur major vel minor calor in  
regionibus, qui præter aërem, aquam &  
alimentum ad constituendum vel immu-  
tandum temperamentum plurimum valeat,  
ut patet per analogiam in arte distillato-  
ria. Cùm autem, ut Galenus docet &  
experientia, temperamentū corporis com-  
muniter sequantur mores animi, ideo mi-  
rum non est, quòd etiam varij mores &  
doles inde proveniant?

Nihilominus hac causa sufficere non  
potuit, cur Appianus Junior nominārit

L

Norin-

*Norinbergenses artifices, Ratisbonenses cives, Augustanos nobiles, Monacenses religiosos. Et Hollandi cur dicantur negotiosi, Colonienses litterati, Lovanienses consulti, Austrij sumptuosi, &c. sed haec similes alia appellationes, si vera sunt, rectius causis moralibus adscribuntur, quales sunt *Educatio, Religio, consortium et commercium cum alijs, status politicus &c.* ferè sicut *Academici Romani Humorista Mediolanenses Transformari, Ferrarenses virtutis studiosi, Veneti libertatis amantes, Neapolitani Ardentes, Bononienses somnolenti dicuntur apud Kircherum Tom. 2. Oedipi, classe 1. c. 2. ex causis moralibus, nimirum à Symbolia Scutorum gentiliorum, quibus vel peculiaris docendi modus, vel doctrina efficacia, vel alijs ritus, et Academiarum istarum prerogativa ac elogia argutè et eleganter significantur.**

## XIII.

Fierine possit, ut ex duobus  
simul natis, & simul morientibus unus  
natu major sit altero?

**R**espondeo cum Blancano in *Sphera*  
L. 7. in fine omnino id fieri posse, si  
nimirum unus proficisciens versus  
orientem, alter in occidentem, apud Anti-  
podas iterum conveniant, tunc unius dici  
numero discrepabunt, ex duorum, ubi quis-  
que captum iter prosecutus ad eundem lo-  
cum redierint, ex quo sunt egressi. Si er-  
go in occurso ambo morerentur, in aquale  
asatis ex vita tempus numerarent, ex ille  
quidem uno die, vel duobus natu major fo-  
ret, qui hinc versus orientem incessit, alter  
autem totidem junior, qui in occidentem  
abyt. Ratio hujus paradoxi petitur tum  
ex dictis supra §. 5. de Meridianorum di-  
versitate, tum ex rotunditate terra, ex qui-  
bus

*bus fit, ut quicunque in Longitudine Geographica quindecim gradibus differunt, etiam in tempore numerando unā ab invicem horā discordent, & quam hi horam ex. gr. nonam numerant, illi jam decimam dicant.*

### §. VIII.

*Ostenditur Fundamentum prima accusacionis contra Epactas falsum esse.*

**XXVIII** *F*undamentum primum, ex quo Cyclus Gregorianus in jus vocatur, est mala & falsa persuasio, quasi Christianis prohibitum esset, pascha in plenilunio celebrare, & Judæi suum ex divina lege in plenilunio agerent. Hinc est, quod, quoties id in plenilunio agimus, vociferentur, nos cum Judæis convenire contra manifestum Concilii decretum: “ Ne Christiani cum Judæis interfectori-  
bus Christi in paschate celebrando con-  
ve-

veniant. Hinc Strauchi<sup>s</sup> & Anony-  
mus ad oculum, & evidentia geometricis  
majore, sibi demonstrare videntur, nos  
in hunc canonem peccasse anno prioris  
sæculi octuagesimo secundo, nonagesimo  
quinto, nonagesimo nono; & hujus anno  
secundo, nono, & vigesimo secundo.  
Hinc plura paschata, quasi illegitimo  
tempore à nobis acta damnant. Sed a-  
renæ Colosso inædificant. Nam Heb-  
ræos Luna XIV. Phæc suum sive pascha  
celebrare ex SS. Paginis, Doctorum con-  
sensu, atque ipso Concilio perspicuum  
est. Legat, qui dubitat, Clavium L. i. c.  
3. contra Mæstlinum, ubi in hanc rem  
non minùs gravia, quam clara testimo-  
nia inveniet.

Sed forsitan Luna XIV. plenilunium **XXIX**  
est? neutquam. Audiamus Joannem  
“ Stöfflerum: nullæ, inquit prop. 25. or-  
“ bis nationes, Latina, Græca, Hebræa,  
L 3 bar-

«barbara afferunt Lunam XIV. significare  
 «plenilunium , aut oppositionem Lumi-  
 «narium , sed quintam decimā accipiunt  
 «pro plenilunio aut oppositione. Et Jos.  
 Scaliger magni apud suos nominis L. 4.  
 «de Emend. Temporis: quintadecima Ju-  
 «dorum est plenilunium , ut omnes sci-  
 «unt. Idem afferit alibi, & Paulus Middel-  
 burgensis Episcopus Forosempionensis  
 in initio lib. 12. Ex his ut clavum clavo  
 fortiori pellam, sic argumentor. Nos, ut  
 volunt Adversarii , in prædictis annis  
 Pascha egimus in plenilunio. At Judæi  
 id non agunt in plenilunio. Non igitur  
 cum Judæis id egimus. nam , ut ostensum  
 est , Judæi id agunt Luna XIV. quæ , ut  
 iterum ostendimus , plenilunium non est.

### XXX

Verùm instant nefas esse , in plenilunio  
 pascha celebrare. Credam , ubi cano-  
 nem exhibuerint ullum uspiam id pro-  
 hibentem. Canonem quidem secundum  
 Nicæni

Nicenii Concilii ante relatum veneror ;  
 sed Anonymi glossam ac expositionem :  
 " adeoque sub , vel statim post plenilu-  
 " nium Pascha celebrari non posse inferen-  
 tis haud probo , utpote & Patrum menti ,  
 & Ecclesiaz consuetudini contrariam. Sa-  
 ne in oppositum stant Vener. Beda. B. Iſi-  
 dor Hispal. Rupertus Abbas Tuitiensis ,  
 Guil. Durantus cum multis aliis apud  
 Clavium in Explic. Calend. cap. i. & ipſe  
 Scaliger alias nobis minimè favens , qui  
 in quarto de Emend. Temp. hæc habet : &  
 " quamvis recte obeat plenilunio proximè  
 " post æquinoctium &c. Quin & usus  
 Ecclesiaz Adversantium opinioni contra-  
 riū est , nam ab anno Christi trecentesimo  
 vigesimo tertio , usque ad septingen-  
 tesimum vigesimum tertium , seu inter  
 quatuor sæcula vigesies novies Pascha a  
 Etum est in plenilunio , prout ex ipsius  
 Calvissi calculo eruit Guldinus nostre

Clas-

Clavius quoque annos centum septuaginta quinque notavit, in quibus Pascha celebratum est Lunâ XV. in plenilunio statim post Concilium, & deinceps. Adhæc certum est pascha saepius celebratum fuisse in Ecclesia vigesimô secundô Martii. Sanè tantum annos à tempore Concilii Nicæni usque ad correctionis tempus numerando invenio decies hoc factum fuisse. At si Pascha Luna XV. ob plenilunium non licet celebrare, sed primùm post illud, tunc nunquam potuisset incidere in vigesimum secundum Martii, iste enim dies à Novilunio est ipsissimus decimus quintus. Nam si ab octavo Martii, in quem tunc incidere debet Novilunium, numeres quatuordecim dies, Luna XIV. seu paschalis cadet in vigesimum primum Martii, & Luna XV. sive plenilunium in diem sequentem seu vigesimum secundum. Rursus ex usu Ecclesiæ ultimus

timus terminus , ultra quem Paschalia Fe-  
sta differri nequeunt , est vigesimus quin-  
tus Aprilis , & Novilunium , post quod  
nullum paschale esse potest , cadit in  
quintum Aprilis . Verum si in plenilu-  
nio pascha celebrare prohibitum est , ul-  
timus terminus erit dies vigesimus sextus  
Aprilis , si enim numeremus à Novilu-  
nio in quintum Aprilis incidente , dies  
quindecim , ut numerari Adversarij exi-  
gunt , tunc Terminus Paschalis erit dies  
decimus nonus Aprilis . Ponamus jam  
hunc incidere in diem Dominicam , trans-  
ferendum ergo Pascha erit in sequentem  
Dominicam juxta Concilii decretum .  
Quapropter , ut patet , celebrandum erit  
Pascha vigesim⁹ sext⁹ Aprilis , quod  
prorsus novum , & receptæ consuetudi-  
ni Ecclæ repugnat . Tantum idcirco  
abest , ut Pascha in plenilunio peragi lici-  
tè non possit , ut etiam ita celebrari de-

M beat,

beat, nisi ab antiquo Ecclesiae usu, Patrum doctrina, & Concilii sanctionibus recedere velimus. Pluribus adhuc istam criminationem persecuti sunt dicti duo Auctores Clavius & Guldinus, atque ita profligarunt, ut eam ulterius premere non defensio, sed immanitas sanguientis incadaver videri posset. Ad secundum igitur accusationis membrum progrediar, ubi prius unum & alterum scrupulum, qui forte aliquorum animos anget, excereo,

**XXXI** Dicent fortassis primò, Auctores supra citatos loqui de Luna XIV, non annumerato ipso dic Noyilunii, sic Lunam XIV. & Pascha Judæorum re ipsa esse Lunam XV. atque adeò constare, quod Luna XV. & in plenilunio prohibita sit celebratio Paschatis. Ex contrarium patere ex Auctoreis Numeris, quos Dionysius Abbas Calendario Ecclesiastico inscripsit, & Ecclesia

sia retinuit usque ad atnum correctionis.  
Ex his numeris enim quivis dato anno  
conveniens Terminum Paschalem seu  
Lunam XIV. indicat, computat etiam  
die Novilunii, cui adscriptus est Nume-  
rus Aureus.

Dicent secundò, diem quoque Azy-  
morum, quæ decima quinta est, frequen-  
ter Pascha dici, ideoque nos cum Judæis  
convenire, & cum illis agere Pascha Lu-  
na XV. seu in plenilunio. R. dies Azy-  
morum impropiè dici & esse Pascha,  
ut colligitur ex S. Scriptura, & ex-  
presso præter Eusebium, Bedam, S. Epi-  
phanium, aliósque plures Rabarius Mau-  
rus Moguntinus Episcopus L. 2. de In-  
stit. Cler. cap. 39. docet. Neque cum hoc  
minùs propriè dicto Paschate convenire  
a S. Synodo vetitum est, alias, cum dies  
Azymorum durent per septem dies, nun-  
quam intra hos celebrari posset Pascha,

quod tamen Decretis & consuetudini Ecclesiae repugnat.

### XXXIII

Dicent tertio, falsò afferi toties Pascha in plenilunio aëtum esse, eò quod oppositiones mediæ, vel veræ non semper inciderint in dies illos, quibus Pascha celebratum est. *Rq.* etsi non omnia plenilunia vera, vel media inciderint in dies Paschatis, incidisse tamen in illos plenilunia cyclica, hoc est, prout ex cyclis colliguntur, quæ Ecclesia præcipue attendere consuevit.

### XXXIV

Dicent quartò, non deesse, qui Lunam XIV. plenilunium vocent, & talem esse Campanum, itemque aliquos Patres. *Rq.* Campanum ita vocare potuisse, quia Luna XIV. quando Iudei vesperi agnum comedere jubebantur, jam prope exspirat, & proxima est Luna XV. ac plenilunium. In quo sensu autem Patres locuti sint, explicat Stöflerus, dum verbis superius citatis

tatis ista subjungit : sed quodd prisci Patres nonnunquam vocant Lunam paschalem XIV. accipiendum est de XIV. Luna completa, inchoatā tamen jam XV. Si quis has mitiores interpretationes probare nolit , debet hunc mihi nodum , quem ex dictis conficio , solvere. Ecclesia prohibuit Pa-scha agere die Lunæ XIV. sed non prohi-buit id agere die plenilunii , ut vidimus ; ergo diem Lunæ XIV. & diem plenilunij Ecclesia pro eodem non habet.

## QUÆSTIONES EXOTERICÆ. XIV.

**A**n cessante motu Solis in sub-lunaribus cessarent motus , & productiones rerum ?

**M**ultorum Philosophorum axioma est , sine solis mobilis universalis influxu nihil fieri. Unde conclu-  
*M 3* dunt ,

dunt, quiescente sole cessaturam omnem actionem ex motu; perinde ac si motus solis esset in magno mundo, quod parvo est motus cordis, quae Systolen ac Diastolen Medicum Philosophis dicunt, quo deficiente languent et deficiunt omnia, atque ipsa vita.

Verum horum sententia valde incerta videtur, certiora hac existimamus, primo secuturum orbis statum turbulentum. Secundo quasdam partes terra inhabitabiles redditum iri. Tertio aeris temperiem et vicissitudinem humanis usibus, et frugibus necessariam destruendam, ac quartò orbem diu consistere agere posse.

## XV.

Num sicuti quies Solis, ita etiam solaris lucis privatio terræ noxia sit?  
 & an propterea proxima eclipsis solaris extimescenda?

**E**Clipses Solares ominosas esse, et grandium malorum nuntios Astrologi

logi & vulgus credunt, quorum persuas-  
sionem confirmant eventus varij & tri-  
sties, qui à P. Ricciolo, & fusiùs à Reve-  
rendissimo Domino Joanne Zahn. Ord.  
Premonstr. Preposito Eccl. in Oeconomia  
Mundi mirabilis Scrutinio 2. c. 5. referun-  
tur de Hierosolyma primò à Tito, dein à Sa-  
racenis capta, de Attila in Italiā, & So-  
limanni in Hungariā incursione, de bel-  
lis & heresibus Germaniam turbantibus;  
de morte & cadibus Principum &c. que  
omnia vel tempore eclipsium solarium con-  
cigerunt, vel non longè post sunt secuta.  
Adbac Cardani Aphorismus est, Solaris  
deliquij effectus tot annos durare, quo ip-  
sa eclipsi durat horas.

Attamen et si non negem aëris mutatio-  
nem inde provenire posse, nihilominus ta-  
lium malorum & eventuum prognostica  
signa vel causas esse non credo, donec Astro-  
logi connexionem aliquam probaverint.

Nec

*Neque video, cur aliquamdiu interceptis  
solis radij adeò fatales ac funesti sint, cum  
samen ijdem sapè diutius à nubibus innoxie  
nobis substrahantur. Proinde dico, eclipsin,  
in qua vigesimo tertio Septembris die hujus  
anni Luna interposita solem prope totum  
nobis obscurabit juxta Astronomicum cal-  
culum, ob ingentes & insolitas in medio  
die tenebras, plus terroris quam periculi  
habitaram, neque timendum, ne eius effe-  
ctus in biennium & ultra producantur,  
licet illa ultra duas horas sit duratura.*

### §. IX.

*Idem ostenditur de fundamento secunda  
& tertia accusationis.*

**XXXV** A Lterum fundamentum, cui reli-  
quam accusationum fabricam ac  
molem inædificant, est, quod Pa-  
schata examinanda putent ad motus cœ-  
lestes potius, quam ad cyclos, credánt-  
que Pascha ante plenilunium verum vel  
medium

medium actum, vel agi cæptum conti-  
nuò Quartadecimanorum errorem sapere  
à Concilio anathemate fulminatum. His  
fundantur illæ querimoniæ: nos cum  
Quartadecimanis ante plenilunium Pa-  
scha egisse anno millesimo quingentesi-  
mo nonagesimo octavo, & millesimo  
sexcentesimo nono, & acturos anno mil-  
lesimo septingentesimo quarto, ac mille-  
simo septingentesimo octuagesimo, itém-  
que in ultimo mense aliquoties. Verùm  
in nullo canone legimus, Paschata secun-  
dùm motuum cœlestium normam esse  
examinanda, damnanda vel approbanda.  
Econtra tamen scimus, Concilium pro-  
basse omnia illa Paschata ut legitima,  
quæ juxta Cyclum tunc constitutum, &  
Calendario Alexandrino accommoda-  
tum promulgarentur. Cùm enim Patres,  
ut ex supra disputatis constat, cyclos,  
non calculum Astronomicum usurpâ-  
N tint,

rint, satis illis fuit, si univerſim, & quan-  
tum fieri per cyclos posset, Paſcha agere-  
tur tali tempore, quod ex Cyclo ab Ec-  
clesia recepto prodiret, & à cælo non  
multum discordaret.

## XXXVI

Insuper æquinoctij verni tempus non  
examinaç Concilium & Ecclesia ſcrupu-  
loſe juxta motus medios, aut veros So-  
lis, neque ad horas & Minuta, ied suffi-  
cit illis obſervare vigesimum primum  
diem Martij, quod circiter, tempore  
Concilii Nicæni contigit, & contingere  
ſolet, ſi, prout ad annum politicum ma-  
gis accommodatum eſt, conſideretur,  
quod adeò certum eſt, ut nec Adverſa-  
rij contrarium dicant, nec dicere au-  
deant, cum aliàs multa Paſchaſa, quæ  
nobis ut malè celebrata obiiciuntur, legi-  
tima forent, & contrà alia, quæ etiam ip-  
ſis probantur, reiicienda eſſent. Cur igi-  
tur, obſecro, Patres & Ecclesia tam accura-  
tē

tē considerare jubeant motus Lunares pro Noviluniis, Pleniluniis, Lunā XIV. & Termino Paschali, & non etiam motus Solares pro inveniendo æquinoctio ad legitimā Paschatis célébrationē non minus necessario? Utrum Solis in Arietem ingressus sex vel plures horas, unum diem, vel ultrā à vigesimo primo Martii distet, non magnopere curat Concilium, contentum non longè distare; & cur Lunæ cūsum adeò exacte observandum præcipiat, ut si ad Syzigias aliquot minuta horaria deessent, continuo Pascha de mense in mensem, saepē ultra triginta dies differre jubeat, secus facientes, & minuta illa paucula negligentes anathemate, & hæresis stigmate notatos esse velit? Quis hoc credet? Videat Anonymus, & qui cum eo sentiunt, ante plenilunii momentum Pascha agere gravissimum esse piaculum, videant, inquam, ne dum ni-

mis serid agere & pugnare se putant, nū-  
gari potiūs velle censeantur. Percurrat,  
cui lubet, tantum viciniora Concilio  
tempora, & occurrent anni complures, in  
quibus omnibus Pascha plenilunium  
præcessit, vel iisdem diebus actum est,  
in quibus id post meridiem primūm est  
secutum, deprehendet Paschata plura  
etiam post Concilium Nicenum ab Ec-  
clesia ut legitima habita esse, quæ tamen  
si motus cælestes tam strictè attendendi  
essent, celebrari ritè, & rata haberri haud  
poterant. Fateri itaque debent, motus  
cælestes ab Ecclesia tam sollicitè non at-  
tendi, nec mentem Patrum fuisse, illos  
cum Quartadecimanis anathematis ful-  
mine ferire, qui subinde, ita ferente ine-  
vitabili eycli fato, Pascha ante plenilunii  
momentum agunt, sed eos solum, qui  
Luna XIV. semper ita agendum esse per-  
tinaciter judicarunt, & per hoc ansam  
de-

dederunt multis ac gravibus dissidiis Ecclesiaz pacem turbantibus. Quapropter nimis rigidi censores sunt, & iniqui, qui Calendarium Gregorianum, eiisque cyclum damnant, quod non penitus cum motibus cælestibus congruat, quod tamen ipsimet Concilii Patres non postularunt. Et planè mirum est, hinc Adversarios tam rigorosè exponere Concilii decreta, & eorum observationem tanto zelo urgere, cum tamen ejusdem Concilij statuta de Quadragesima Paschalibus festis præmittenda laxè interpretentur, vel omnino non curent. Detectâ fundamentorum fallaciâ, quibus machinaz ad evertendum cyclum superstruuntur, qualēm hæ vim ac robur habere possint, jam quivis facilè colliget.

# QUÆSTIONES EXOTERICÆ.

## XVI.

An Motus Cælorum sit Har-  
monicus?

**P**ythagoras Musica admodum amans sibi imaginatus est ex caelestium corporum motu admirabilem concentum effici, quem Philo Judæus tam suavem esse existimavit, ut, si perciperetur, mortales ejus dulcedine quasi in extasi raperentur, cibi omniumque rerum necessariarum immores. Et favere huic opinioni videretur S. Pagina, ubi enim Josue cap. 10. legimus: Sol ne moveatis, & stetit sol, hebreicus textus habet: dom wajdom hoc est, ut habent Biblia Regia: file & filuit. Item il lud Jobi 38. concentum cæli quis dormire faciet?

Hac quidem harmonia Pythagorica  
non

non placet , quia rationi diffona est , nec  
consonat S. Scriptura hic tantum metapho-  
ricè loquenti , aliquam tamen harmoniam  
calos habere fatemur . Constat , subinde  
hytropicos , & rheumaticos à Luna mul-  
tum pati , biliosos à Marte , melancholicos  
à Saturno &c. alios ab alijs planetis pro-  
diversitate complexionis , quod ipsum ef-  
fectus esse harmonia cælestis arbitramur .  
Enī experimentum quoddam Kircherianum , & in eo probationem . Accipian-  
tur quinque scyphi vitrei equalis magni-  
tudinis & capacitatis , & primus aqua  
vita , alter vino meliori , tertius aqua sub-  
tili , quartus aqua crassa , quintus aqua  
communi repleantur . Hoc facto , extremo  
digiti madefacto oram scyphi quinti eous-  
querade , donec tinnitus edat . Tum vi-  
debis per hunc sonum humores in scyphis  
concitari inequaliter . Plus cateris mo-  
vebitur aqua vita , qua ignem naturam

E

Et temperamentum cholericum refert, non  
 nihil moderatus vinum exhibens aëream  
 seu sanguineam complexionem. Tardius  
 aqua subtilis, qua phlegmaticam constitu-  
 tionem representat, et demum aqua cras-  
 sa, qua terrea melancholice constitutioni  
 assimilatur, vix aliquam motionem subi-  
 bit. Hoc experimento P. Kircherus in  
*Musurgia Universalis L. 9. parte 1. cap.*  
*5. ostendit vim Musicae, quomodo varios*  
*in audientibus affectus excitet, et nos har-*  
*moniam caelestem. Nam sicut idem scyphi-*  
*tinnitus variè varios humores in vitris*  
*contentos concitat, et eadem Musica di-*  
*versos in audientibus affectus ciet, puta*  
*gaudij, amoris, irae &c. ita eadem virtus*  
*caelestis effectus in sublunaribus pro diver-*  
*sitate complexionis ac dispositionum sub-*  
*jectorum diversos producit. Est igitur*  
*calis sua harmonia, non qua in sonorum*  
*concentu consistat, sed in virtute, ut ita*  
*dicam, harmonice influente.* XVII.

# Cur Sol tempore Paschali subsilire, & quasi saltare videatur?

**T**anta est Paschalium feriarum sanctitas, ut ab ipsis ritè celebrandis Concilia, Pontifices, totusque Orbis Christianus summo studio ac curis sapientia tractare non dubitarent, ac primo in cujusvis anni Calendario attendi ac constitui debeant. Nec minor est latitia, adeo, ut astra ipsa ad plausus et choreas excitare, et animare vulgo credatur. Oratio est hec opinio ex eo, quod hoc tempore sol, aliquè sidera in ortu subsilire, ex quae saltare videantur, quod maxime aduerterunt, quando in obscuratum cubiculum per apertum foramen, noto iam passim artificio, solis radie, sive discus, intromittuntur, et in mundacharia excipiuntur. Hinc Mathematicus datur occasio, rerum hujus tra-

moris & subsultationis in sole causam investigandi. Et nos quidem primò dicimus, hanc soli intrinsecam nequaquam esse, cum quia ejusmodi successione, et si frequenter in oreu agitetur, non tamen semper hoc paroxismò laborat, & in occasu rariùs, rariissimè in meridie. Tum quia eodem tempore, dum alijs concuti cernitur, alijs quietus appareat. Sic v. g. dum nobis hic in meridie ab isto symptomate liber est, alibi intuentibus eo affligi videtur, immo si per unam fenestram solis radios per summum camini transcurrentes intromittas, tremet, fluctuabit, & saltabit, si per aliam libere illapsos exceperis, pacatus erit. Non igitur hujus motus causa potest esse intrinseca soli. Secundo arbitramur, motus istum oriri ex vaporibus à sole oriente excitatis, & refractis, sursumque motu irrequiesco, & irregulari intercursantibus. Nam quia hi turbulentis, & temerè alio dilan-

dilabuntur, nec perfectè diaphani sunt, & insuper varias figuræ multumque de aqua admixtum habent, ideo solis radios alios occultant, alios debilitant, alios infringunt. Unde fit, ut pars solis alia sursum, alia deorsum, & in diversa torqueri, exilire, & subsultare putetur. Assertionem confirmo, & declaro experientiâ: si in libero campo deauratus alicuius curris globus vaporibus pacatis à Sole illustratus aspiciantur, quietus, & fixus apparebit. At ubi eundem vaporibus excitatis & interpositis intueberis, huic, illuc, sursum, & deorsum cum saltitare existimabis. Ex his jam colligere licet, genuinam causam, cur tempore Paschali major observetur Solis tremor, subsultatio, & tripudium, esse hanc, quod verno tempore, quo Paschalia festa semper celebrantur, copiosiores sint vapores, & ita majorem subsultationem efficere possint, & soleant.

## §. X.

*Aliæ Objectiones contra Cyclum nostrum  
Solvuntur.*

**XXXVII.** **A**T nec dum quies. Obijciunt alii, æthiopem me lavare fugillantes, & operam oleumque perdere in defendendo cyclo, quem ipse Clavius erroribus obnoxium fassus sit, & negare nemo possit, cum error præ oculis sit in Explic. Calend pag. 440 ubi ad annum ter millesimum trecentesimum nonum, die decima sexta Aprilis Luna XIV. & plenilunium eodem die, horâ decimâ nonâ ponitur, Pascha vero die decima quarta, adeoque ante Terminum Paschalem seu Lunam XIV. Nihilominus non frustra me hactenus laborasse arbitror, nam cyclus Calendarij nostri, etsi nigerrimus sit, æthiops tamen non est, cum color iste ei nativus non sit, sed ab Adversariis illum denigrantibus superinductus,

Ad

Ad primum r<sup>e</sup>. Clavum nequaquam **XXXVIII**  
 de talibus erroribus loqui, qui verè, ab-  
 solutè, & propriè errores sint, ac dici que-  
 ant, sed tantùm, si cum perfectiori quo-  
 dam, & cæli motibus pénitus conformi  
 cyclo, qualis tamē extra fīgentis cere-  
 brum nunquam dabitur, comparentur,  
 ferè sicut res publica utū bene instituta,  
 manca ac defectuosa apparebit, si inter  
 hanc & illam, quam Plato sibi confinxit,  
 parallelas ducere volueris. En Clavis  
 verba cap. 19. in Explic. Cal. ad finem ita  
 scribentis. Hi ergo sunt quatuor erro-  
 res (si erratum dicendum est, quod non  
 temerè, sed necessariò admitti interdum  
 debet) qui in nullo Calendario, quod per  
 cyclos & regulas captu faciles atque  
 uniformes, ut par est, instituitur, evi-  
 tari possunt.

Ad alterum pariter non deest respon-  
 sio. Ac in primis non mediocriter hæc

O 3

ob-

**objectione commendare videtur Calendarium ac Cyclum Gregorianum , quod post tam sedulam indagationem error duntaxat inventus sit , post mille sexcentos decem annos , & ideo fortassis primùm post mundi interitum committendus. Quæ unquam Tabulæ Astronomicæ hac prærogativa excelluerunt , ut per tot sæcula , ut **cyclus noster** , sibi semper similes constarent? Profecto Tycho post incredibilem diligentiam , & expensas maximas non est ausus motum & locum Solis tabulis consignare ultra ducentos annos indubitate valituris. Et cyclum Epactarum , qui non solo solis motu , sed & Lunæ innititur , aliquem nærum post septendecim sæcula contrahere mirum sit , & tantum crimen? Infelix sanè Cycli nostri conditio! In oculos etiam non acutè cernentes ultro incurruunt enormes Calendarii veteris errores , qui , si**

si ad tantum tempus Calendarium istud extenderetur, in hebdomades, & menses excrescerent, nihilominus hi tamen disimulantur, excusantur, & elevantur. nempe: *Laudantur corvi &c.*

Adhæc Ecclesiæ, Principum ac Reformatorum mens non fuit, Calendarium ad nescio quæ remota tempora forsan nunquam secutura condere, sed tale constituerem intenderunt, quod ad bene multos annos omnia festa pro veteri Ecclesiæ consuetudine, Conciliorum decretis, & cæli motibus, quantum fieri posset, convenienter & ritè celebranda exhiberet, prout videre est in libello, quem ante promulgationem Calendarii Gregoriani edidit in lucem Alexander Piccolominius, qui & ipse in hoc restorationis negotio collaboravit; & colligi etiam potest ex particularibus corundem regulis. Quanquam dein pro sua sedulitate & industria

ad

ad explicandam uberioris in exemplis do-  
ctrinam ac precepta ad annum quin-  
quies millesimum usque illud extenderint,  
sollicitaque caverint, qua ratione, si quis  
error lapsu temporis se proderet, esset  
emendandus. Quid ni igitur & nobis  
sufficiat, per Calendarium Gregorianum  
id obtentum fuisse, ut saltē usque ad  
imaginaria saecula omnia bene ad Patrum  
mentem & Ecclesiarum morem essent coor-  
dinata. Num tantas lites ac motus ciere  
operæ pretium est, quod forte non æquè  
bene, ac nobis, prospectum sit posteris,  
quos nunquam futuros docet communis  
Sapientum opinio, aut si haec adde po-  
tens est causa, quæ Tabulæ & Hypotheses  
Astronomicæ non teijci poterunt. Vel  
hoc solo nomine, quod tam exactæ non  
sunt, ut in remotissimis saeculis æquè ac  
dung tutò ului esse valcent, vel certe ta-  
des esse non probantur?

QUÆ-

# QUÆSTIONES EXOTERICÆ.

XVIII.

Quandonam Luna plena sic  
in Plenilunio, an in Novilunio?

**P**lenilunium fieri dicitur, quando Lu-  
na maximè, sive per dimidium cali-  
circulum à Sole distat, Noviluni-  
um autem, quando Soli, sub uno & eodem  
circulo Longitudinis conjugitur, sive dum  
aquarem cum Sole ab Ariete distantiam  
habet. Illic Lunam omnium maximè à  
Solis fulgore illustrari multi putant, hic  
vero minimè. Verum hi toto calo aber-  
rant. Dicendum potius & tenendum,  
Lunam nunquam esse minus plenam, sive  
à Sole minus illuminatam, quam cum no-  
bis plena appareat, & contrà, cum nobis  
penitus obscura est in Novilunio, cum ve-  
ro vere plenam esse, & à sole maxime illu-  
strari

strari. Ratio est, quia corpus opacum sphaericum à luminoso sphérico majori ex remotione minus, à propinquiori plus illuminatur, ut cum Opticus P. Franciscus Aquilonius L. s. Optica demonstrat. Cum ergo Luna sit Sole minor, & opaca ac sphaerica, atque propior Sole in Novilunio, remotior in plenilunio, consequens est, Lunam nunquam minus illustrari à Sole, quam cum nobis plena appareat, & nunquam magis, quam tunc, quando nostris oculis in conjunctione sive synodo penitus subducta est,

XIX,

Quam anni partem Sol conditius effecerit, & quo Cæli loco Luna producta sit?

**R**Espondeo ad primum questionis membrum. Solem effecisse ver & autumnum astatem ac hyemem, quia, dum hic ver, illic aetas, alicubi autumnus

tumnus est, & hyems alibi. Sic, dum Sol arietis signum ingreditur, nobis ver incipit, antipodibus nostris autumnus, & hyems habitantibus circa Polum antarcticum. Sub aquatore autem degentes astarem habent medium. Quod si vero respe-ctu certi loci ex. gr. Paradysi quæstio insti-tuatur, incerta est responsio. Primo quia non satis constat de loco Paradysi, quem aliquis cum Jacobo Christopolitano Epi-scopo putant suisse in terra australi ultra zonam torridam, alijs in Insula Zeilan cum Hugone Lindschottano statuunt, nonnulli in monte quodam altissimo versus orientem sito, ultra secundam aëris regio-nem elevato, denique quidam cum Hier. Vitali Theatino in Luna. Secundo quia val-de dubium est, quo in signo Sol primo pro-ductus sit, an in ariete, vel cancro, vel libra; habet enim quodvis horum trium signorum suos Patronos, qui videri possunt

*apud Ricciolum in Chronol. c. 7. cap. 4.  
Propendemus nos in illorum sententiam,  
qui censent, Solem in ariete productum Ver  
effecisse respectu Paradysi, quem secundum  
principia Geographica sub eadem nobis-  
cum Zona Temperata Boreali, in Mezo-  
potamia vel non procul inde situisse arbi-  
tramus.*

*Adhuc magis incertum est, num in  
primo vel quarto, vel alio hujus signi gra-  
du Sol productus fuerit? nec potest aliquid  
solide statui. Similiter quo loco in calo  
Luna producta sit, an in soli opposto sig-  
no, seu in plenilunio, an in eodem cum So-  
le, sive in novilunio inter auctores contro-  
vertitur. Pro plenilunio stat S. Thomas  
cum multis alijs, contra in Novilunium  
inclinat S. Augustinus, nihil tamen deci-  
dit. Pererius quoque & Suarez ob ar-  
gumentorum inopiam & imbecillitatem  
sententiam ferre verentur. Unde (quod  
cursim*

cursim tantum hic notare liceat ) mirum est, quod D. Mathias VVasmuth pag. 150 sua Sciagraphia tam audacter dixerit , et quinoctium Vernale sub Meridiano per Paradysum transeunte accidere horâ nulla, hoc est, in meridie exactissime, ne quidem uno minuto primo vel secundo &c. deficiente, & recentius quidam in Hollandia tam intrepidè dicat, Mathematicam veritatem esse, solem initio temporis in primo puncto seu gradu arietis, & Lunam ex opposito in libra constitutos fuisse. Verum de hujus auctoris divino invento in fine §. ultimi.

### §. XIII.

Quid de quibusdam alijs Systematis sensiendum?

**P**Ræter recensita adhuc alia quædam consilia ac systemata non tam vulgata sunt, quam insinuata. Inter

hæc est NOVA INVENTIO SPLEIS-  
SIORUM & OPUSCULUM KIRCHII  
DE CALENDARIO , de quibus qui-  
dem ipsi meminerunt in litteris tum im-  
pressis , tum privatis , sed arcanum non-  
dum evolveruut. Unde non habeo , quod  
de istis enuntiem , quia , uti ignoti nulla  
cupido , ita de re necdum cognita nullum  
sanum judicium esse potest. Præstolemur  
ergo , dum in lucem prodeant.

**XLII** Interea maximis spebus Germaniā imple-  
re cœpit CALENDARIUM NATURA-  
LE VERUM ÆTERNUM ET UNIVER-  
SALE SECUNDUM NOVAM , SED JU-  
STAM ANNI FORMAM ET QUAN-  
TITATEM ASTRONOMICE ET CI-  
VILITER RESTITUTUM &c. quod in  
Hollandia dicitur sub incude sudare &  
elaborari. Ejus prodromus hinc inde mis-  
sus amplissima promissa & encomia conti-  
net. Satius fuissest , si laudum parcior , prin-  
cipia

cipia Naturæ apodictica , quæ jactat , pro-  
potuisset , & aliquo dato specimine eo-  
rum soliditatem demonstrasset . Abs-  
que hoc nemo nisi temerè , & cæco im-  
petu æctus hanc Anni Novam formam ,  
& quantitatem , quam inducere parat ,  
probabit . Interim , dum hoc præstet ,  
michi simile videtur magnificis pollicita-  
tionibus Wasmuthianis hac ipsa in mate-  
ria ante aliquot annos factis , quæ tamen ,  
hactenus effectu , caruere .

Idem terè sentiendum existimo de no- XLIII  
vo JOACHIMI TIEDI Calendario , quod  
“ juxta verissimam Anni Solaris quan-  
“ titatem 365. dierum , 5. hor. 47  
“ 50.  $16\frac{8}{37}$  , & Medios Lunæ motus exqui-  
“ sitissimos cum sole , singulis 592. annis  
“ modo perquam mirabili præcisè in or-  
“ bem redeentes accurate constructum  
esse affirmat . Sed de utriusque hujus  
fun-

fundamenti veritate dubitatur, & méri-  
tō; cùm reliqui Astronomi quoad minu-  
ta dissentiant. Secundō turbat ordinem  
annorum bissextilium, dum intercalatio-  
nem, aliās quarto anno fieri solitam, non-  
nunquam ad quintum differt. An ve-  
rō turbet (quod quidem ait) meliori ordi-  
ne? iterum jure ambigitur. Tertiō mu-  
tat etiam Terminos Paſchales, eosque ad  
vigesimum usque Aprilis extendit, &  
cum plenilunio confundere videtur,  
utrumque contra Concilium & Ecclesiæ  
morem. Quæritur, qua hoc auctori-  
tate? & cur ista mutatio? De his igi-  
tur, ut alia omittam, priùs litteratum or-  
bem edoceat sportet, antequam fidem  
suo novo Calendario dari, ac recipi po-  
stulet.

(§)

QUÆ-

# QUÆSTIONES EXOTERICÆ.

XX.

Utrum etiam Natura habeat,  
& observet suos Cyclos?

**P**rater Cyclum Epactarum, qui nobis  
hucusque amplam disceptandi mate-  
riam prabuit, datur alius *Cylcus*  
*Solaris*, sive *Literarum Dominicalium* di-  
ctus, qui est revolutio viginti octo anno-  
rum, post quos literæ *Dominicales* eodem  
ordine redeunt. Etiam hunc ars invenit,  
est vos in *Calendario Gregoriano* sequimur,  
de ea tamen pluribus agere necessarium non  
est, quia hodie dum à paucis impugnatur,  
aut invalide. Proinde eo omisso quæstio  
exoterica sit, an & Natura suos habeat,  
& observet cyclos, sive statas temporum  
revolutiones, post quas eosdem effectus pro-  
ducat? Affirmant communiter *Medici*,

**Q**

exem-

exemplum dant in annis climactericis ;  
 qui aliud non sunt, quam quicunque aera  
 tis nostra anni septimi, aut noni. In his  
 ajunt, mutationem fieri ex discrasiam in  
 corpore humano, maturescere morborum  
 semina, naturam luctari cum adversanti-  
 bus, vincere vel vinci. Unde pro omnino-  
 sis ex periculis habentur, et Augustus  
 Caesar ad nepotem suum scribens latatur,  
 quod, anno sexagesimo tertio superatō,  
 diuturnioris vita spem Medici fecissent.  
 Sed hunc Natura cyclum climactericum  
 Medicis artis peritis relinquamus. Alium  
 Geographi observant in ventis, quos Pe-  
 riódicos, seu Anniversarios, aut cum Gra-  
 cis Ethesias, vel cum Nautis Motiones vo-  
 cant. Experientia enim doget, cersis in  
 locis, et certo anni tempore spirare ventos,  
 eosque statim tempore iterum cessare. Sic  
 ex Hollandia in Brasiliam incipit motio  
 circa initium Maij. Ulyssippone versus  
 Goam

Goam surgunt venti circa 8. Martij usque ad medium Aprilis: Goā Malaccām prima motio fit exente Aprili. Ex Japonia in Sinas mense Februario &c. Hac & plura de ventis cyclicè, seu periodice flantibus Ricciolus in Geogr. Reform. Va<sup>2</sup>renius, Kircherus in *Mundo Subterr.* quorum causam reperire difficile est. Vero simile videtur, oriri quandoque ex resolutione nivium in montibus; ubi salini, nitrosi & flatulentī spiritus abundare solent, & multi vapores & habitus latitare. Ex hac causa certè reddi ratio potest, cur in Gracia Ethesia à montibus Thracia spirent, in Gallia ex alpibus, in Hispania à Pyrenais, cur in aestate potissimum, cur tertiam circiter diei horā incipiānt manū, & noctu desinant &c. Fateor quidem, hac majorem declarationem exigere. At, ut §. i. dixi, in concertatione Academica Illustri Domino Defendentī melius explicanda relinquō.

Num operæ pretium sit de Ju-  
liani Calendarij correctione agere?  
ubi de interitu Mundi.

**D** Strauchius §. 19. sua dissertatio-  
nis à nobis initio citata refert quo-  
rundam Theologorum argumenta  
contra Calendarij correctionem, & inter  
alia etiam insinuat, prepostерum esse con-  
silium, nunc demum Calendarium corri-  
gere velle, quod plerisque vaticinijs imple-  
tis instare videatur extremi judicij dies.  
Si mei fori esset de hac materia disputare,  
quarerem, quām propè igitur Theologi illi  
interitum mundi abesse putarent? Certè ex  
P. Cornelij à Lapide, & aliorum interpre-  
tum doctissimis commentarijs in Apoca-  
lypsin & Danielē &c. conjecturare licet  
finem mundi non ita vicinum esse, ut non  
uno & altero saculo absit. Num autem  
eousque

eousque agnatum, & certum errorem continuare, imo augere, & discordiam alere consultum sit, judicent alijs. Ego aliam inde questionem magis Philosophicam formo, ac pro coronide propono, nimirum, an ex montium decremente, & aquarum eluvionibus probetur, mundum aliquando naturaliter inseriturum?

Affirmat Blancaeus noster in Locis Mathem. Aristotelis pag. 103. item L. 4. Sphera c. 4. & Caramuel in Orometria fol. 512. ob sequentes rationes. 1. Mare semper fit altius, & flumina continuo arrodunt littora. igitur tandem totam terram inundabit aqua. Posterior Danubius ripas exedens abunde probat, primum ex eo patet, quod mare ob ingestam arenam, quam flumina identidem invehunt, intumescat, & eluvione vicinas terras & insulas absorbeat, ut Athanidi aliisque locis accidit, & Zelandia, ejusque vicinia

Q 3

à Geo-

à Geographis metuitur. 2. Montes, qui potissimum maris ferociam frenare debent, sensim deficiunt, quia assiduo imbrium ac nivium delapsu, quia terra motibus, quia ignibus subterraneis consumpti. Argumento sunt vetustarum arcium & ipsius Capitolij denudata fundamenta, & non modica montosa in Sinis reglo, qua annis abhinc 142. terra motu hausta est, & denique Vesuvius ac Strongylus, montes ignivomi intestino malo mediæ partem diminuti.

Veruntamen esto, quod flumina excedant ripas, affundunt tamen alibi, quod hic auferunt. Sic illa Ægypti pars, qua Delta vocatur, donum Nili est. Et licet mare nonnullas insulas sepeliat, quandoque tamen etiam prospicit alias. Tales pars Varenio sunt Melusca, Japonia & China

Chinamagna pars, item Hollandia Zelandia & Geldria, ex Rheni & Mosa, vel maris sabulo coagmentata. Quin ipsis arenarum cumulis sape aqua cedere, & alveum mutare cogitur. Pro exemplo est Danubius, quem olim ex altera parte prope Lendingen fluxisse, & à navium appulso pago nomen dedisse perhibent. Similiter et si aliqui montes sensim decrescant, ad eorum radices tamen terra excrescit altius, & non raro in eorum locum exsurgunt alijs. Hinc nunc Roma in Pantheon descenditur, in quod olim multis gradibus ascendebatur. Sic in Helvetia prodij mons ille non procul à Berna, in cuius visceribus, ut Fulgosus refert, anno 1462. metallorum fossores navim cum anchora, ac velis atque alijs ad nauticam perirentibus invenerunt.

Taceo Montem

San-

*Sanctum, qui anno 1538. prope Puseulos  
(nunc Puzzuolo) repentino hiatu ignem  
et saxa evomente, intra unam noctem  
enatus est, et Vulcanellum, quem à Vul-  
cano similiter serviente procreaturn miran-  
tur Liparitani. Quapropter ha rationes  
non evincunt, terram post aliquot anno-  
rum myriades aquis submersum iri, nullum-  
que amplius habitandi locum hominibus  
daturam.*

### §. XII.

*Discutitur Epistola Anonymi ad omnes  
nationes Christiani orbis, et maximè ad  
earum Principes, ex Hollandia re-  
cens data de novo veri motus  
caelestis calculo.*

**XLIV** *J*am disquisitionem prælo subjectam  
magnam partem receperam, cùm Ra-  
tisbonâ submittitur exemplar epistolæ  
cujusdam circularis ad omnes Christiani  
orbis populos, præsertim ad illorum  
Prin-

Principes, idiomate vernaculo impres<sup>a</sup>  
 " sæ, in qua continentur verus cæli motus  
 " cum confutatione veteris & novi Ca-  
 " lendarii &c. in quibus hucusque om-  
 " nium Academiarum Professores aber-  
 " ratunt; id quod per infallibiles & evi-  
 " dentissimas regulas ac calculum, à thuna-  
 " di exordio ad nostra tempora progredi-  
 " endo demonstratur. Hic est epistole  
 titulus seu inscriptio, è vernaculo latino  
 idiomate ad sensum fideliter reddita.  
 Exordium autem est hujusmodi: Grates  
 " sint Deo Deorum, & Domino Domi-  
 " nantium &c. qui nobis intellectum de-  
 " dit, (sine jactantia) de suis & Naturæ  
 " summis operibus, supra omnes, qui fue-  
 " runt ante nos. Mirabar primò insolitum  
 loquendi modum, verebar tamen  
 novum montium partum. Proponam  
 nonnullos obices, qui gloriosos hos  
 conatus non nihil retardare possunt.

R

Primò

**XLV** Primo igitur displicet, supponi, solem initio temporis in primo gradu Arietis, & Lunam ex opposito stetisse, quod tamen præter ea, quæ Quæst. Exot. 19. insinuavimus, valde dubium faciunt, cum auctoritas magnorum virorum, puta Nicolai de Lyra, Tostati, Josephi, S. Hieronymi, & Hebreorum doctissimorum, tum argumenta, quæ Commentariorum L. i. in Genesim Pererius refert, tum quia nemo scire potest, an Moyses recensuerit annos præcisè completos, an deficientes & labentes, an ita completos, ut dies superabundantes neglexerit? Pro quo intelligendo sciendum est, Hebreos triplicem habuisse in annis differentiam. Deficiens annus communis enim numeravit dies 353. Ordinatus 354. Abundans 355. adhuc maiores tuere, quos Embolimæ dicunt, ex quibus Deficiens dies habuit 383. Ordinatus 384. Abundans 385. ut pluribus, præ-

præter alios ostendit Guldinus L. 5 c. 11.  
in Refutat. Elenchi. Et quomodo, oble-  
cro, auctor epistolæ solidè refutabit su-  
stinentem, primigeniam illam lucem an-  
te solem productam inchoâsse annum  
æquinoctialem ab initio Arietis, & solem  
feriâ quartâ collocatum fuisse in gradu  
quarto Arietis, Lunam autem è regione  
in quarto Libræ? Quis doctrinam, quæ  
tam dubiis innititur principiis, credet,  
æclitus datam esse, magistrum universo li-  
terato orbi hucusque tam miserè à vero  
aberranti?

Displacet secundò, quod pro ætate **XLVI**  
Mundi usque ad Christum natum assignet  
annos 6485. 5701. vel 4917. vel 4133. Cur  
istum potius, quam alium annorum nu-  
merum elegit, quæ ratio, quæ auctoritas  
ad hoc ipsum permovit? Apud erudi-  
tissimum Ricciolum Chronol. L. 7. cap.  
1. lego æptuaginta opiniones hac super-

re, at inter omnes ne unus quidem annus reperitur ex istis, quos Adversarius proponit. Adhæc eur tales ponuntur anni, ut si quivis minor à proximè majori subtrahatur, semper idem numerus residuus maneat, nempe 784. quemadmodum ex adjecto calculo apparet.

6485	5701	4917
5701	4917	4133
784	784	784

An fortuitò, an de industria hoc factum, quia aliàs excogitatum novum systema cum cælo, & Astronomis non conveniret

## XLVII

Tertiò in altero probationis capite stantit, primum Pascha Exod. cap. 12. descriptum celebratum fuisse anno Mundi 2514. in quo iterum singularis est, & solus sapit. Spero tamen, cum non ita obstinate lux opinioni adhærere, ut omnes reliquas, tanquam apertè falsas, sit rejectus.

rus, Ponamus itaque memoratum pri-  
mum Hebræorum Pascha celebratum ef-  
se anno à Mundo condito 2453. aut se-  
quenti, prout censent Cornelius à Lapide,  
Petavius, Emmius, Scaliger ac Origanus.  
Vel anno 2592. ut ex divina historia se-  
cundum hebraicam & vulgatam S. Hie-  
ronymi editionē colligunt nonnulli, aut,  
ut alii volunt ex editione septuaginta In-  
terpretum, actum esse anno 4042. pericli-  
tetur jam ipse met, num idem cyclus sola-  
ris, eadem litera dominicalis, dies, epe-  
ctæ, & horæ eadem prodeant? Profecto  
ex multiplicatione ac divisione reperiet  
numerum longè diversum ab illo, quem  
ipse ex suo calculo & particulari chrono-  
logia eruit: & ita videbit totam novi sy-  
stematis apodicticam probationem cor-  
ruere. Ruinæ tamen docebunt lubrici  
fundamenti vitium, & quam malus sit ar-  
chitectus ambitio, quæ alta molitur fasti-

R 3                   gia,

gia, de basis soliditate parùm solicita.

**XLVIII** Quartò post probationis specimen quartum subjungit, Christum natum esse in autumno, in ipso Scenopegiæ seu Tabernaculorum festo, nempe primò Octobris, cui nunc decimus quintus Septembris responderet; atque ex hoc suam sententiam ac cælesti thema confirmare velle videtur. Audax sanè facinus! opinionem novam, rationibus & auctoritate defitutam stabilire per tale medium, quod antiquissimæ traditioni, communi propè omnium Patrum doctrinæ, & pridem receptæ confuetudini repugnat. Christum enim natum esse in hyeme circa solstitium docent Evodius apud Nicephorum L. 2. Hist. cap. 3. S. Joan. Chrysost. hom. 1. in Lucam. S. Gregorius Nyssenus in orat. de Nativ. S. Ambros. serm. 2. de Nativ. S. Bernard. hom 3. de Nativ. Domini. Beda in homil. de Nativ. S. Joan. Baptista.

Stx. Clemens Papa in Constitutionibus  
 Apostolicis cap. 13. Anastasius Episco-  
 pus Nicænus L. Quæst. in Script. q. 92. &  
 D. Augustinus 4. de Trinit. c. 5. ac in e-  
 numeratione Psalmi 132. iterumque in  
 serm. 21. de Sanctis, cuius pars Breviario  
 Romano ad 25. diem Junij inserta ita ha-  
 bet. Ut humiliaretur homo, hodie  
 natus est Joannes, quo incipiunt decre-  
 scere dies. Ut exaltetur Deus, eo dic  
 natus est Christus, quo incipiunt cre-  
 scere dies. Hæc aliisque plura testimo-  
 nia, quæ apud Suarez in 3. partem Disp. 13.  
 Sect. 4. & Barrad. L. 8. Comment. c 10. ei-  
 tantur, haud dubiè non ignoraverit, qui  
 omnes Academias & cathedras instruere  
 parat. At si legit, scivitque, mirum est,  
 quid homo majori, quam omnes, qui  
 præcesserunt, sapientiâ præditus, plus  
 suo, & Scaligeri ac Wasmuth cum ipso  
 in autumnum conspirantium iudicio tri-  
 buat,

buat, quām tot & tantis omnium æstatum  
viris ac Doctoribus maximis.

**XLIX** Quinto in puncto septimo clarum spē-  
cimen dat vel fraudis vel ignorantiae. Pro-  
bat ibi anno 1581. plenilunium medium  
paschale accidisse astronomicè die 7. A-  
prilis, seu secundūm Calendarium no-  
vum die 17. hora. 20. 31. Etsi intelli-  
gam ex Tabulis Jo. Antonii Magini id fu-  
isse 17. die hor. 7. 57. post meridiem, & ex  
Prutenicis quatuor ferè hōris ante meri-  
diem, dabo tamen ita esse. Sed quid de-  
inde? pergit, Paschà illo anno celebrant-  
dum fuisse die 18. Aprilis. Quid ulterius  
sequitur? infert, cùm ergo celebratum  
sit vigesim⁹ quint⁹, errâsse tam ve-  
tus, quām novum Calendarium. Sic-  
cine? ergo Calendarium novum in Pa-  
schate tunc celebrato erravit, quod nec-  
dum illo tempore fuit? nam primum in  
Octobri in usum & praxin deduci cœpit.  
An

An hoc tam præstans Mathematicus nescivit, quod notum vulgo est? an nescire se simulavit, ut reprehendendi Calendarii nostri haberet occasionem? neutrum bene. Quoniam autem eum fingere delestat, fingat jam tunc Calendarium Gregorianum in usu fuisse, & jam in Februario omissos esse decem dies, & videbit, quod etiam hoc exhibeat Pascha 18. Aprilis celebrandum illo anno. Ubi ergo error styli novi? Cæterum grates ei debeo & ago, quod, nescio an sciens volensque, confirmet, in plenilunio Pascha agi posse, nam dum dicit plenilunium medium incidisse in diem septimum Aprilis horam 20. 3 i. stylo veteri, sive civiliter, & juxta stylum novum, in diem 18. Aprilis, horam 8. matutinam, atque illa die ( quæ tunc Dominica erat ) Pascha celebrandum fuisse statuit, fatetur, & affirmat id, quod ego supra asserui, Pascha in plenilunio

S

Junio

Iunio agi licite posse.

**L** Sextò. Suspecta est hæc nova calculi methodus, partim quia incerta est, quam supponit, hypothesis de primo Lumina- rium situ ac loco, mundique ætate, ut vi- dimus, partim quia non explicat, quo ar- tificio constet, quibusc legibus regatur, cur præ aliis hi tres numeri, videlicet pro sole 66342857. pro Luna 56370454. & 153086600. electi sint? Et ne quis existi- met, me temere hunc calculandi modum in suspicionem trahere, causam addo. In capite octavo probationis exhibet pleni- lunium medium Paschale hujus anni, fu- isse die 14. Aprilis, ( stylo novo ) horâ 12. 41. hoc est paulò ante tertium quadran- tem horæ 12. nocturnæ. Verùm ex re- gulis Nicolai Mercatoris, ac P. Milliet De- chales, item ex præceptis ac tabulis Ric- cioli constanter reperio, illud plenilunium accidisse dicto die 14. Aprilis post horam secun-

secundam pomeridianam , circa medium  
tertiam. Itaque cùm differentia ad no-  
vem horas ascendat , differentia tamen  
meridianorum 30. sive dimidiam horam  
non superet , absque injuria dubitare li-  
cet , num tanta certitudo ac infallibilitas  
huic inventioni subsit , quanta in titu-  
lo n̄mis liberaliter promittitur. Dubi-  
tatio tortè non mediocriter augeretur , si  
reliquorum omnium capitum calculum  
examinare , & cum aliorum non infimæ  
notæ Astronomorum seu tabulis , seu ob-  
servationibus comparare tempus sineret.  
Nihilominus abundè hoc ex dictis consta-  
re arbitror , nimiùm quantūm falli Ano-  
nymum , dum quasi idoneo epiphonema-  
te sua octo probationis capita clausurus ,  
in fine ait , per illa mathematicè demon-  
stratum esse , quod cæli motus in omnibus  
penitus cum ipso conveniat , ac omnes  
illos errare , qui in uno altero puncto ad-

versarentur. Sed quisquis amat ranam &c.  
**LI.** Hæc habui, quæ proferenda judicavi, pauca quidem, si amplitudinem argumenti, & copiam vindicationum spectes, sat multa tamen, si causæ æquitatem, nam, ut proverbium ait: ad bonam causam tria verba sufficient, ad malam nec tria librorum millia. Pro coronide ad duo capita, ad quæ tendunt omnia, haec tenus disputata colligo, scilicet non esse, eur, qui Calendarium Julianum hucusque sunt secuti, Gregorianum tantopere horreant, neque opus, ut alia systemata & ideas Calendarii constituendi moliantur, vel sequantur, ne cum plurimorum dolore diffensus, & graves molestiaz ac incommoda in commerciis, contractibus aliisque politicis negotiis continentur, vel etiam cum numero novorum Calendariorum, iniquo sane ac exoso fœnore augeantur.

*O. A. M. D. D. G.*

PERILLVSTRI  
GENERO<sup>AC</sup>SO  
DOMINO  
MAXIMILIANO FRANCISCO  
PHILIPPO MARIAE PAULO S.R.I. L.B.  
de Scinsheim, in Weng, Mosweng, Hochen-  
kottenheim, Seehaus, Marchbraith,  
& Erlach.

*Triumphales ex Mathematica Lauros*

Huc, Huc Sacrarum, qui Cytharam tenes  
Præses Serorum Phæbe ! Bivertici  
Descende Parnasso, & rogatus  
Vaticidum meliore plectro  
Molire Pœan: nocte virentibus  
Ramis venustam laudis adoream,  
Et Maximi Athletæ gloriosam  
Cinge rosis violisque Frontem.  
Impone Laurum; quosque Mathescos  
Favente Cælo, Victor in area  
Meret triumphos, gratulare  
Laurigeras adhibens quadrigas.  
En Astra felix scandit, ab Æthere  
Pugnæ capessens principium suæ,  
Ridetque sævas Africorum,  
Et rabidas Aquilonis iras.

T

Altam

Altam Poli *Marguardus* originem  
Causásque doctus querit, & arduam  
Tonantis Aulam p̄vagatus  
Stelliferos speculatur Orbēs.  
Huc ergo Pindi Pr̄ses, & Æmulo  
Lauros adorna: plaudito, floreat  
Ter faustus, inter Laureata  
Perpetuō numerandus astra.

Honoris  
&  
*Observantia* ergò

Convictori suo gratulatur

**Collegium S. Ignatij Martyris.**









